ABECEDARIUM
VITÆ SPIRITUALIS
EXPLICANS
NATURAM, CAUSAS, GRADUS, MEDIA, IMPEDIMENTA,
&
INSTRUMENTA PRACTICA
RELIGIOSÆ PERFECTIONIS
Omnibus Vitæ Asceticæ Cultoribus
Scitu necessarium.

Operâ.

Olim, Reverendi in Christo Patris CHRYSOSTOMI ADAMOVII, Ordinis Sancti PAULI Primi Eremitæ Definitoris Provinciæ Polonæ, & Magistri Novitiorum ex varijs Authoribus

COLLECTUM.

Anno Domini 1648.

Nunc verò
In usum commodiorem Religiosæ Iuventutis
PRÆLO DATUM.

Anno Domini 1720.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis.

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.
Matthæi 5.

Venire qvidem ad Eremum summa perfectio est, non perfectè in Eremo vivere summa damnatio est.
Sanctus Cæsarius.

Jllos gehenna devorat, qui in habitu Religionis negligenter vivunt.
S. Odo Cluniacensis.

VIVO PERFECTIONIS EXEMPLARI.

Admodùm Reverendo, ac Eximio in Christo Patri,

P. BRUNONI MATTHIÆ JANICKI,

FRATRUM EREMITARUM ORDINIS SANCTI PAULI PRIMI EREMITÆ,

Per utramq; Poloniam, Silesiam, ac Pomeraniam,

PRIORI PROVINCIALI,

Patri, Patrono, ac Benefactori Singularissimo.

I*Nfima Probationis domus sua Tibi offert Elementa.* Admodùm Reverende ac Eximie in Christo Pater PROVINCIALIS. *Nec erubescit exotico intitulatum nomine* Abecedarium, *in Paterno reponere*

 sinu

ſinu, dum ſe recolligit Te aliquando habuiſſe alu mnum ſuum, qui Docto licet progenitus Iove illud pijs manibus volvere & eruditâ mente ſcrutari non erubuiſti. Magna intendebas & ideo à minimo in cipiebas: altam fabricam Perfectionis in Schola Chriſti erigebas, & ideo ab imo gradu inchoabas, quæ tantò auguſtior ſurrexit, quantò humilius fundamentum poſuiſti. Nimirum paulatim ſumma petuntur. Sic valet ima ſummis mutare Deus. Non prius tonans è ſacratioribus exedris Pericles, non prius Philoſophiæ, Theologiæq; Doctor extitiſti, antequam Abecedarius Paulinus extitiſſes; plus dicam ſupremum dignitatis in Provincia Polona culmen per virtutes quaſi per ſcalam aſcendiſti. Ita loco humili ſtare neſcit virtus. Non potes hæc Rudimenta Novitiæ Perfectionis repellere, quæ prius tuo expreſſa animo, quam recenti adumbrata Typo tegebantur: & hæc Dedicatoris animus dum digniſſimis porrigit manibus ſimul Paternis ſubſternitur Plantis. Dabit meliorem opus hoc non vile laborum Incipientibus lucem, dum à Te Theologorum ſole mutuabit ſplendorem, quem toti Paulino imò & Polono latè diffundis Orbi nempe à quo fulgurat lumen vultuq; cultuq; & fideli non dubius ſedet in ore candor: Admiratus Mons Marianus lumen tuum, quod è duodecim ſignis Zodiaci evibraſti. Stetiſti lucidiſſime Planeta in Leone ex

quo

qvo mortalibus ægris naturam Deorum nescientibus Theologicis argumentis Deum verum â posteriori demonstrasti. Gemmee Pater mansionem in Geminis fixisti ex quibus dari Angelos, Eosdemq; esse in loco per operationem docuisti, Petisti signum Sagittarij ex quo tractatum de actibus humanis sagittasti. Ingressus Arietem aureum velus Gratiæ totondisti. Apprehendisti Libram secundum quam reddere unicuiq; quod suum est de jure & justitia præcepisti. Taurum Capricornum, & Cancrum incoluisti, ubi virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, scholastico calamo exarasti Virgo Tibi Heroscopus fuit in quo admirabilem Incarnati Verbi Generationem legisti Ex Aquario Sacramenta hausisti, quæ credentibus ad salutem necessaria propinasti Luxisti in Piscibus dum lugentibus peccatoribus Pænitentiam prædicasti. In signo Scorpionis effulsisti, dum contra peccati venena efficax remedium præscripsisti. Ergo lucidam cælo terræq; invexisti, Coloniam non solum scientiarum, sed etiam insignium virtutum fulgore illustratam, quàm sine nube fatorum longiori annorum Cursu inhabita ita cum tota Perfectionis schola precatur.

Admodùm Reverendæ Paternitati Vestræ.

Humillimus Servus,
Fr: ELEVTHERIUS BIERNACKI, indignus Fratrum Novitiorum Magister.

F A C V L T A S
A. R. P. PROVINCIALIS.

CVm Abecedarium vitæ Spiritualis quot quot è gremio Fratrum Ordinis Noſtri in Novitiatu probaverunt, ipſo facto per Sacram Profeſſionem approbaverint, ideo authoritate noſtrâ Provinciali facultatem concedimus, ut pro Majori Religioſorum commodo Typis Noſtris domeſticis mandari poſſit, ſi ita iis viſum fuerit ad quos ordinaria ſpectat librorum cenſura. Datum in ſolita reſidentia noſtra Clari Montis Częſtochovienſis Anno Domini 1720. Februarij.

Fr. BRVNO IANICKI S. T. D.
Prior Provincialis. *mpp.*

Anno Domini 1719. Die 10. Octobris, Librum ſub titulo ABECEDARIUM Vitæ Spiritualis, ad Typum Approbo.

M. BASILIUS PŁASCZEWSKI, Sac: Th: Doctor, & Profeſſor, Eccleſiarum Cathedralis Crac: Canonicus, Collegiatæ Sanctorum Omnium Crac: Præpoſitus, S.R.M. Secr: Librorum Diœceſis Crac: Cenſor *mp.*

INTRODUCTIO
AD
ABECEDARIUM
PERFECTIONIS
RELIGIOSÆ

QUi itineri aut navigationi ſeipſos dare conſtituunt priùs ſciant neceſſè eſt, quo aut quomodo tendant, in quemlocum aut Urbem proficiscantur, ne in cognito fine aut modo iter terrâ marive capeſſentes, unde requiem, & ſecuritatem expectabant inde inſanis laboribus obruantur. Eodem plane modo qui vitæ Religioſæ ſtadium DEO Honorificè, ſibi utiliter decurrere decrevit, profectionis ſeu itineris ſui finem, & modum, ipſo ut in Tyrocinio cognoſcat eſt neceſſarium, ne poſt multos & graves in Religione exantlatos labores aberret, & Cæleſtibus divitijs vacuum ſe deprehendat. Finis iſte ex communi ſententia SS. Patrum, & Aſceticæ diſciplinæ Magiſtrorum non eſt alius niſi perfectio vitæ ſpiritualis. Quare enim Religioſus ſæculum relinquit, nonne ut perfectior evadat? Domino atteſtante cum ait: Si vis perfectus eſſe vade vende omnia & ſequere me. Quare idem Religioſus in Paupertate vivit? car-

nem ſuam macerat, iejunijs diſciplinis ciliciis & alijs hujusmodi mortificationibus domat? nonne ut Perfectionem acquirat? Quare Paſſiones reprimit, vitijs fortiter reſiſtit, nonne ut majorem Perfectionem quàm ſæculares præſeferat? Perfectio itaque eſt finis & terminus ultimus in hac vita cujus gratia homo Religioſus operatur. Verùm quia Nomen hoc magnam plerumque perplexitatem in animis generare ſolet, antequam ad alia veniamus, oportet interim tanquam fundamentum præſupponere, quia Perfectio multa & multifariam in ſe complectitur, ſeu ut clariùs dicam: ad perfectionem multa diverſa, & diverſo modo ſunt neceſſaria. Aliqua requiruntur, & influunt ad perfectionem per modum Eſſentiæ, ut Charitas DEI & Proximi, aliqua per modum effectuum, ut vitiorum extirpatio, Paſſionum Mortificatio & Virtutum exercitatio. Aliqua per modum Inſtrumentorum, ut vota Eſſentialia. Aliqua per modum mediorum ut mortificationes animi & corporis, Meditatio, Sacramentorum frequentatio &c. Aliqua per modum Incitamentorum ut habitus, tonſura, inclinationes, & alij Religioſi ritus externi. Hinc in tam lata & diverſa materia varij & ingentis de Perfectione prodierunt libri. Pro uſu & captu faciliori Incipientium totam hanc latam Varietatem contraham ad ſeptem Capita. In primo agam de Natura perfectionis. In ſecundo de effectu ſeu de Primo Gradu. In Tertio de ſecundo gradu. In quarto Capite de tertio. In quinto de Medijs. In Sexto de Impedimentis In Septimo de praxi ejusdem perfectionis. Porro exotico Abecedarij nomine tractationem inſcribo quia prima Rudimenta ſeu Elementa Religioſæ perfectionis continet, quæ omnino debet ſcire & exequi, quicunque vitam ſpiritualiter iuxta vocationem Religioſam intendit componere. Lege igitur Chariſſime Tyro Abecedarium tibi proprium revolve, in laudem Omnipotentis & fruere.

CA-

CAPUT I.

DE NATURA PERFECTIONIS.

QUuatuor Paragraphis Naturam Perfectionis expediam. In Primo agam de Nomine Perfectionis, In Secundo in quo consistat. In Tertio explicabo Amorem in quo Perfectio consistat. In quarto dicam quot gradus habeat, & causas.

§. I.

De Nomine Perfectionis.

MUltis modis Perfectionis Nomen accipi solet. 1mo. Pro bonitate seu integritate naturali Entis: Sic Aristot. definit perfectum in Ethicis: perfectum est cui nihil deest. 2do. Pro quacunque virtute morali: *Sic Christus Dominus Math.* 5. Dilectionem inimicorum vocat perfectionem & *Math.* 19. Paupertatem. *Sic S. Iacobus c.* 3. Patientiam dicit habere opus perfectum & passim alij Patres. Hujusmodi Perfectiones tot sunt, quot virtutes morales. 3tio. Accipitur perfectio pro gratia Sanctificante aut justificante, quâ justus homo mortuus peccatis, spiritualiter vivit virtutibus & DEO hanc ob causam vas electionis *S. Paulus fideles Romæ existentes* (quos piè hanc gratiam habere credebat) vocat sanctos, id est, Perfectos idem enim hæc duo sunt Sanctitas & perfectio. 4to. Accipitur Perfectio pro beatitudine supernaturali quam in altera vita expectamus: secundum hanc acceptionem loquitur *S. Ambrosius libro* 3. *Offic. c.* 3. Duplex est forma perfectionis, alia medios alia plenos numeros habens alia hic, alia ibi, id est, in Cœlo. 5to. Accipitur â Scriptura & SS. PP. perfectio pro rebus quibusdam spectantibus ad virtutem moralem: *Sic S. Gregorius in Moral.* accepit perfectionem pro cognitione suipsius. Magna est, inquit, Perfectio suæ imperfectionis cognitio. 6to. Accipitur Perfectio pro Beatitudine super-

 natu-

naturali hujus vitæ quæ secundum possibilitatem hujus viæ mentem nostram humanam DEO coniungit. Perfectio hæc vocatur alio Nomine : Sanctitas absoluta. Secundum hanc acceptionem loqui videtur *S. Paulus Rom 6. cum dicit* : Christianos liberatos â peccato factos autem servos DEI habere fructum suum in Sanctificatione, id est, Sanctitatem, finem verò, vitam æternam. Perfectionis enim finis proprius est vita æterna. *Et S. Dionysius de Divin. Nomin. c. 12.* Cum dicit perfectionem omni scelere liberam absolutam & penitus incoinquinatam munditiam esse. Et alij SS. PP. qui eam nunc vitam spiritualem, nunc animæ decorem ac Majestatem, nunc thesaurum illum pretiosum de quo *Christus Dominus Math. 9.* Nunc culmen seu tectum totiùs fabricæ spiritualis, nunc Montem altissimum appellant, quia nimirum vi illius homo quantum possibile est in hac vita vicinior iuxta ac similior DEO existit.

Quæres. Quæ ex his sex Perfectionis acceptionibus erit nostræ tractationis Argumetum ? ℞. Præter ultimam vel nullam fore vel saltem non per se fore. Ratio est. Quia nulla præter ultimam complectitur, & includit in se ea omnia quæ supra dixi requiri ad perfectionem. Dixi per se : quia negandum non est aliquas ex his perfectionibus, secundam videlicet, tertiam, quartam, & quintam pertinere secundum quid ad nostrum institutum.

§. II.

In quo consistat Perfectio ?

FUerunt quidam è vulgo imperiti, & fortassis modo etiam sunt qui opinantur Perfectionem consistere in carentia omnis maculæ etiam levissimæ. Quæ opinio non modo longissimè abest â veritate, sed etiam est error perniciosus : quia ex illa sequeretur nulli hominum possibilem esse Perfectionem in hac vita quod falsum est per se. Certè S. Joannes Evangelista perfectus fuit nihilominus se & alios homines imò, Apostolos peccatores vocat. Si dixerimus, *inquit 1. c. 1.* quoniam

peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *Et S. Augustinus perfectus sanè Vir fuit, attamen ipse de se lib. 1. Confess. c. 3. sic scribit.* Ego in tentationibus positus certo quotidiè adversus concupiscentiam edendi, & bibendi. Et quis est Domine qui non aliquando reficiatur extra metas necessitatis? Quisquis talis est, magnus est, magnificet nomen tuum, ego autem talis non sum; quia homo peccator sum. Non consistit igitur perfectio in carentia omnis maculæ.

Neque consistit in dono faciendi miracula, aut in gratia Sanitatum, aut in alijs gratijs datis *à S. Paulo 1 Corint. 12. enumeratis: Patet ex verbis Magistri Christi JESU Math. 7. inquientis:* Multi dicent in illa die: Domine Domine none in Nomine tuo dæmonia ejecimus, Prophetavimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite â me qui Operamini iniquitatem.

Neque consistit in sola exteriori mortificatione, & compositione ut gestare capüt nonnihil, inclnatum oculos demissos, manus sub scapulari, incedere modestè, submissa voce & raro loqui, inclinationes, prostrationes, & alias hujusmodi cæremonias Monasticas ad amussim observare. Bona quidem & necessaria ista sunt omnia, nec oportet ea negligere atquè ullo modo intermittere, attamen non constituunt perfectionem. Non sanæ mentis esset ille Paterfamilias inquit *S. Bernard.* qui ab arbore multo labore plantata sola folia vel flores expectaret, & exigeret, fructum verò svavem, sapidum contemneret, sic, & tu qui ex sæculari Oleastro insertus es in spiritualem Olivam, & in viridarium Sacræ Religionis transportatus, parum sanus eris si sola folia externarum cæremoniarum curaveris.

Neque consistit in tribus præcipuis consilijs Evangelicis Obedientia Paupertate & Castitate *ut dicit S. Thomas 2da. 2. q. 184. Art. 1. & 3.* Quia Perfectio inquit secundum naturam suam mentem nostram DEO, optimo fini coniungit. Cosilia verò non sunt talis naturæ, ut nos DEO jungant, sed tantum â vinculis creaturarum quò perfectius ad istam conjunctionem assequendam curramus, expediunt.

 In quo

In quo ergo consistit ista Perfectio? ℞. Perfectio vitæ Spiritualis consistit in amore, seu charitate, benevolentiæ supernaturali quo oblatis vitijs & virtutibus acquisitis intellectu, & voluntate, DEO nostro tanquam summo bono, summo benevolentiæ affectu, & effectu unimur, & arctissimè adhæremus. Ita passim omnes Magistri Spirituales *cum S. Paulo 1. Timot. 1. dicente:* Finis præcepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et in alio loco: Plenitudo legis est dilectio. *Idem docet S. Thom. lib. de Perfect. Spiritualis vitæ c. 20.* Primum inquit, & principaliter consistit Spiritualis vitæ perfectio in dilectione DEI. Secundariò in dilectione proximi. *Idem ipse Christus Dominus Catharinæ senensi in dialogo declaravit:* Scias inquit servorum meorum salutem Perfectionemque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitantur. Quod si paucis, & collectim scire desideras voluntatem meam, ut eam integrè valeas adimplere: hæc mea voluntas est, ut summè & semper ames me; sicut præceptô mandavi vobis, ut toto corde totâ animâ, & omnibus viribus diligatis me, hujusque præcepti observatione tua Perfectio continetur: quoniam finis præcepti Charitas est, & plenitudo legis dilectio. *Hæc Christus Dominus ad S. Virginem Catharinam de Senis.* Ratio Doctrinæ est, tum quia talis Charitas est absoluta hominis beatitudo in hac vita. Tum quia quotquot Sancti, & Perfecti in Ecclesia fuerunt tali Charitate præditi erant. Talis Charitas, est vertex totius fabricæ spiritualis: hæc expellit omnem peccati obscuritatem ex anima ac veluti sol quidam illam illuminat. Per talem amorem anima DEO & DEUS animæ admirabili & perfecta communicatione commiscetur. Hæc clarius explicemus.

§. III.

Explicatur Charitas in qua Perfectio consistit.

SCiendum. *1mo.* Quemlibet Amorem naturâ suâ nihil aliud esse, quam propensionem seu pondus quoddam, quo amans

fertur;

fertur in amatum ut aliquid sui. Quod si amor habeat rationem mutuæ benevolentiæ, iam erit Charitas seu amicitia.

Sciendum. 2do Amorem bifariam dividi. In amorem Concupiscentiæ, & amorem benevolentiæ seu Amicitiæ. Amor Concupiscentiæ est, quo DEUM diligimus ut nobis bonus. Amor benevolentiæ est, quo DEUM diligimus ut est bonus in se, & secundum se, hoc est, quo volumus illi bonum quatenus illius bonum.

Uterque hic amor potest esse Naturalis, & supernaturalis. Naturalis est, quando fit ab homine proprijs viribus & bonum naturale consectatur. Supernaturalis, qui non potest fieri proprijs viribus nisi supernaturali Spiritus S. auxilio confortetur.

Sciendum. 3tio. Amorem seu Charitatem duo importare 1mo. Unionem quâ amans tendit, & complectitur amatum tanquam aliquid sui, seu tanquam alterum se. 2do. Benevolentiam quâ voluntas præsupposita illa unione cum amato, vult ei bona.

Sciendum. 4to, Bona quæ DEO (ex ista benevolentia) velle possumus esse duplicia. Quædam *In ipso ut Caiet loquitur.* Alia ad ipsum. Bona in ipso sunt ejus Essentia, vita, Sapientia, Potentia, Justitia, Misericordia, & alia Divina attributa, & Perfectiones. Bona ad ipsum sunt honor, regnum, Obedientia, Cognitio, fides, & alia omnia quæ (ut breviter dicam) ad ejus Gloriam Majorem fiunt. Prioris generis bona, cum nihil aliud sint quam ipsemet DEUS, nos non possumus DEO velle efficaciter nisi solum ea admirari, revereri, gratulari, gaudere, laudare, & ut ab omnibus colantur, cognoscanrur, desiderare. Posterioris generis bona cum externam DEI Gloriam concernant nos non solum velle & desiderare, sed etiám eficaciter pro viribus ut quam maxima sint augeanturque quotidiè procurare possumus, sive pugnando cum ijs qui hæc DEO negant, sive alios ad eadem reddenda tùm voce tum exemplo excitando, sive etiam pernosmet-ipsos eadem Domino DEO quasi proprium sacrificium exhibendo,

inquo hunc finem solum, tum internas tum externas actiones nostras omnia creata referendo, dirigendo, & offerendo.

Omnes actiones quales sunt, inprimis illæ, quæ ex se sunt bonæ, & circa Divinum obsequium versantur, ut fidei, spei, Religionis, humilitatis, & cæterarum omnium virtutum moralium, tam interni, quam externi actus. Deinde actiones illæ quæ sunt indifferentes, quæ circa corpus proprium vel necessitatem proximi versantur, ut sedere, dormire, bibere, comedere, loqui, tacere, valetudinem curare, alios docere, cum proximis conversari, necessaria ad vitam subministrare, & alia.

Omnia creata, & inprimis supernaturalia ut septem Sacramenta, & gratias omnes cum suis differentijs specificis. Deinde naturalia ut sunt ingenium, eloquentia, scientia, sanitas, fortitudo, pulchritudo, opes, honores, patria, amici, victus, amictus, terra, aqua, aër, ignis, cælum, vita, mors, &c. Sive ijs ritè atque ut par est utendo sive eorum sibi usum DEI amore interdicendo. *In Summa*; non est ulla tam levis actio, & creatura ex qua verus DEI amator pretiosum Divinæ Gloriæ liquorem exprimere non possit.

Sciendum. *5to*. Subjectum inquo Charitas residet esse voluntatem nostram quæ bonum ab intellectu, cognitum sibique propositum amplectitur in eo sibi complacendo, & optimâ quavis affectione illud prosequendo. His præcognitis accedo ad ipsam explicationem.

Dictum *1mo*. Perfectionem consistere in amore benevolentiæ ad excludendum amorem concupiscentiæ, qui est mercenarius, & minùs perfectus.

Dictum *2do*. Supernaturali, Tum quia non potest fieri proprijs viribus nisi supernaturali Spiritus S. auxilio confortetur. Tum quia Bonitas seu amabilitas Divina non per naturalia tantum dona sed etiam per supernaturalia fidei lumina voluntati nostræ proponitur, & obijcitur

Dictum.*3tio*. Quâ ablatis vitijs & virtutibus acquisitis Non sufficit enim ad perfectionem nostram qualiscunque Charitas Theologica, tum quia hæc omnes obligat, & est in utraque lege præcepta,

cepta, tum quia potest esse etiam in Incipientibus, qui vix aliquas virtutes habent, sed requiritur Charitas quæ sit ab inordinata vitiorum, & Passionum cupiditate libera, & ad exercitium virtutum omniumque suarum functionum expepdita.

Dictum *4to.* Intellectu,& Voluntate: Non quod ipsa cognitio intellectiva sit ratio colendi, & amandi DEUM sed quia est conditio quædam ad id necessaria, sine qua non, seu ut clarius dicam est fundamentum Amicitiæ DEI. Cum enim voluntas quæ est subiectum Charitatis cæca sit, nec possit incognitum bonum prosequi debet necessario, prælucere cognitio intellectus velut fax quædam, ut eius ope excitetur, & sustentetur voluntas in amando.

Dictum. *5to.* DEO tanquam sumo bono; quia vera ratio cur voluntas DEUM amplectatur, colat, & amare velit est sola summa, & infinita bonitas ejus.

Quod si quæras. Unde intellectus cognoscat, & desumat infinitam istam Divinam Bonitatem quam inter se recipit, & voluntati proponit ? ℟. Intellectum nostrum DEUM summè bonum cognoscere ex ijs operibus quibus non secus ac radijs quibusdam Divina Bonitas extra se diffusa nos, & alias creaturas attingit. Ex innumeris verò id generis operibus quatuor sunt præcipua ad quæ alia omnia reducuntur. *1mum.* Quia est Autor primum Principium atque Creator noster. *2dum.* Quia est supremus Dominus omnium. *3tium.* Quia est finis ultimus. *4tum.* Quia est amicus Benevolentissimus. Primum Opus manifestat eius bonitatem Quia ex eo tanquam ex perenni fonte quæcunque sunt in rerum natura promanant, & sua ornamenta perfectionesque hauriunt. Secundum opus ostendit ejus Bonitatem quia omnes creaturas tanquam res suas pro arbitrio suo legibus coercet summoque Imperio pro suo iure fortissimè sapientissimè, & svavissimè disponit, & regit. Tertium opus declarat ejus bonitatem quia in eum prono impetu feruntur res omnes, & præcipuè natura intellectualis cujus est ultima consumataq; beatitudo. Quartum opus aperit ejus bonitatem, & amabilitatem quia creaturas

turas non solum seipso id est amore infinito prosequitur sed etiam extra se effundit per productionem ut sint ipsimetDEO amabiles eo amore quo se diligit ac per consequens ut illis non aliud bonum velit quam seipsum. Ex his igitur operationibus, & titulis bonitatem suam DEUS nobis communicat ut ab intellectu attingi & à voluntate nostra quæ solum in bonum fertur amari queat.

Dictum. *6to.* Summo benevolentiæ affectu. Quia Voluntas videns DEUM (præferente sibi facem fide, qua intellectus perficitur) adeo esse bonum, magno impetu â se egrediens, & alias suas vires secum rapiens, volat in eum optima qua potest intentione intensione extensione & continuatione omnibus insuper affectionibus, optando illi omnia bona in eumque omnia totaliter refundendo & hoc est quod supremo illo mandato præcipitur Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c.

Dictum. *7mo.* Et effectu, id est non optando tantum ut DEI bonum interius & exterius & in nobis & in aljs promoveatur & augeatur, sed quantum possibile est efficiendo, magis enim Charitas in operibus pendet quam in desiderijs *Hinc ipse Christus Dominus Dicit:* qui servat mandata mea ille est qui diligit me. Hinc in Theologia communiter non admittitur opinio illorum qui ut tepori suo velum prætexant putant perfectionem in solo Charitatis habitu consistere Hinc & Charitas practica seu actuosa præfertur affectuosæ & vita practica (quæ hinc originem suam trahit) a sagacioribus rerum æstimatoribus anteponitur vitæ contemplativæ.

Dictum. *8vo.* Unimur: intellige intellectu voluntate & operationibus cum enim absolutam unionem & quasi commistionem cum DEO in hac mortali vita habere non possimus, Charitas de qua hic loquimur solicite curat,ut intellectus noster ipsi per contemplationem conjungatur, ut voluntas nostra voluntati ipsius in omnibus sive prosperis sive adversis cohæreat, omniaque opera nostra externa propter ipsum solum diligenter & heroico modo peragantur & hac saltem ratione Secundum conditionem huius vitæ unio perficiatur.

Dictum. 9no. Eique arctissime adhæremus, quia cum hæc Charitas juxta multos Theologos non sit distincta à gratia, corroborat fortiter hominem nec patitur facile peccare, & â DEO recedere pulchre in hanc rem. *S. Bernard. Serm. 79. in Cant.* Charitas gluten est quod nec aquis eluitur nec ventis disolvitur nec scinditur gladijs. *Unde Psal. 69, ubi nos legimus.* Adhæsit anima mea post te. *S. Pater. Augustinus legit:* Adglutinata est anima mea tibi.

Ex dictis colligitur. *1mo.* Perfectionem sic posse describi: Perfectio est Amor benevolentiæ supernaturalis erga DEUM conflatus ex depulsione omnium vitiorum & omnium virtutum cætu vel sic: Perfectio est Charitas Theologica quæ omnia vitia arcet & Universa Virtutis opera ferventer exercet & nostram mentem DEO jungit.

Obijcies. Siquidem perfectio in charitate benevolentiæ consistit ut quid ergo vitiorum expulsio virtutum exercitium & unio cum DEO in ultima ipsius descriptione apponitur? ℟. Prædicta poni in descriptione Perfectionis tanquam effectus Charitatis: Perfectio enim est quasi totum quoddam, seu corpus; charitas cor ipsius, Vitiorum expulsio, virtutum exercitium & unio, sunt tanquam reliqua membra. Perfectio est fons, charitas principium, ejus reliqua sunt quasi rivuli. Perfectio est sanitas, Charitas vis vitalis, alia tanquam sanitatis hujus partes. Perfectio est procera arbor, Charitas radix, alia tanquam frondes.

Colligitur. *2do.* Perfectionem non distingui essentialiter â charitate quasi aliam Charitatem essentialiter dicat & diversam â charitate, Theologica sed tantum accidentaliter, cum non aliud addat Charitati Perfectio, quam ablationem vitiorum, exercitium virtutum & vnionem cum DEO, quæ omnia accidunt etiam Charitati Theologicæ.

§. IV.

De Gradibus, & Causis Perfectionis

SUpponendum inprimis nomine graduum non significari modos seu media per quæ ad Perfectionem ascenditur, sed Effectum seu Mensuram secundum quam diffunditur Charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Quo supposito.

Quantum ad gradus hoc aliqui quindecim statuunt juxta numerum graduum per quos ascendebatur ad Templum Salomonicum. Aliqui tres tantum volunt esse juxta triplicem hominem statum.

Qui quindecim Perfectionis gradus assignant sic illos Communiter enumerant. *1mus.* Inquiunt est gravia peccata relinquere, *2dus.* A levibus quoque abstinere. *3tius.* Omnia externa ut divitias honores voluptates mundumque cum suis concupiscentijs contemnere. *4tus.* Sensus Passionesque animi mortificare. *5tus.* Abnegare judicium proprium cum voluntate propria omnemque amorem sui inordinatum. *6tus.* Exornare se omnibus virtutibus. *7mus.* Esse alijs bono exemplo. *8vus.* Esse potentem in Doctrina, & Verbo. *9nus.* Esse verè humilem infimum, & abiectissimum se omnium reputando. *10mus.* Esse verè patientem, detractiones irrisiones adversitates quasvis mansvetè sustinendo. *11mus.* Oratio qua anima cum Rege Cælorum novit miscere colloquia. *12mus.* Desiderare soli DEO placere neq; consolationes aliquas humanas aut commoda creata in laboribus gravioribus quærere. *13tius.* Fervor spiritus quo homo omnia obsequia peragit neque â diligentia, & fervore, vanitate mundanorum se separari sinit. *14tus.* Resignatio perfecta in beneplacito Divino,& sincerissima in omnibus cum DEI voluntate concordia. *15tus.* Gradus est unio cum Domino DEO. Primi quinque gradus attribuuntur incipientibus, Medij quinque Proficientibus. Postremi quinque perfectis.

Qui tres tantum volunt gradus. Sic illos explicant. Pri-

mum

mum vocat ultimum, secundum medium. Tertium denique, vocant Supremum. Primum assimilant statui Incipientium, Secundum Proficientium, Tertium attribuunt statui Perfectorum. *S. Bernard. ad Fratres Epistol de Monte.* Primum gradum vocat Animalem secundum Rationalem. Tertium Spiritualem. In primo gradu DEUS hominem avertit à peccato capitali suo inimico. In secundo ad bonum amplectendum inducit. In tertio secum unit. Agit Dominus DEUS noster cum homine non aliter atque agens aliquod Naturale V.G. Ignis, qui priusquam qualitatem suam (hoc est calorem) in lignum introducat. Inprimis frigus, & humiditatem expellit deinde calorem intendit & lignum calefacit, tandem ultima dispositione positâ in suam substantiam transmutat.

Quod si quæras? Quæ sententia ex istis melior & à nobis tenenda, ℞. Utramque esse bonam & utramque posse teneri: Verum quidem est quod prima sit explicatior, sed secunda compendiosior & pro captu incipientium facilior Neque prima amplius dicit licet quindecim gradus assignet, quia in istis tribus, illi quindecim continentur. In primo gradu quinque primi. Medij quinque in secundo postremi quinque in Tertio gradu complectuntur.

Quod si quæras. *2do.* Num. tribus hisce gradibus respondeant illæ tres viæ vulgo dictæ, Purgativa, Illuminativa & unitiva ℞. Quod sic? Purgativa namque respondet statui incipientium in primo gradu existentium, quorum præcipuum studium est vitia extirpare & quidquid puritati mentis repugnat emendare. Illuminativa Proficientium in secundo gradu consistentium. Quorum omne studium in veris virtutibus conquirendis desudat. Unitiva perfectorum in Tertiò gradu commorantium, qui semper quam possunt arctissimè se DEO conjungere conantur.

Quot si ulterius quæras. An exercitia horum graduum concatenata sint & ad invicem dependeant. ℞. quod sic & quidem ita, ut in uno eorum alterius non sint omittenda sed tanto excellentius facienda quanto quis in altiori gradu consistit. V. G. qui stat in gradu medio non debet mortificationes ultimi gradus omit-

omittere. Qui pervenit ad gradum supremum non debet exercitium virtutum, quod est proprium gradus medij, & mortificationem passionum corporisq; macerationem quod est gradus ultimi negligere, sed tanto ex sublimiori motivo, & modo exercere, quanto stat altius. Unde disciplinam, & jejunium, quod incipiens facit propter edomandam carnis petulantiam vel peccata remittenda. Proficiens faciet ut virtutem abstinentiæ exerceat. Perfectus ut se DEO conformet illique soli placeat, & sic de reliquis.

Quantum ad Causas. Supponendum itidem aliam esse causam Efficientem aliam Meritoriam aliam Exemplarem aliam Finalem perfectionis.

Causa Efficiens perfectionis, est DEUS O. M. & quidem non eo modo quo cæterarum rerum naturalium sed præstantiori, Cum eam non ex ulla necessitate sed ex mera liberalitate causet & donet. Hoc indicavit, *S. Ambr. l. 2. de Pœnit, cum dixit*. Non posse sine favore DEI scilicet peculiari aliquem esse Perfectum. Peculiari igitur modo est quoque â DEO petenda.

Causa Meritoria Est Christus. Origo fontium & fluminum omnium Mare virtutum & scientiarum Dominus JESUS Christus *inquit S. Bernard.* ex isto fonte manant continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo. &c.

Causa Exemplaris seu Idæa Est Pater Cælestis. Estote, *Inquit Christus Dominus;* perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Verum quia Divinum hoc exemplar sublime admodum est nec patet nostris sensibus, nec potest imbecillitas intellectus nostri facile illud concipere ut ad ejus imitationem nostræ vitæ actiones componamus. Ideo DEUS volens prospicere in in hac re fragilitati nostræ, aliud nobis exemplar magis captui nostro accomodatum opposuit, nimirum Filium suum Unigenitum, Carne nostra mortali indutum, similem nobis per omnia, ut ait *Apost. Philip.* 2. Excepto peccato, ut in eo quid agendum quid fugiendum intueremur atque adeo præcipuè innocentiæ, humilitatis, obedientiæ, paupertatis, castitatis, subjectio-

iectionis , abnegationis , patientiæ , iustitiæ , & amoris eius in nobis ipsis imaginem exprimeremus. Alia ut V. G. per aquas ambulare, mortuos suscitare, &c. Miracula non expedit nobis imitari. Nam ad hæc imitanda non est Christus propositus nobis à DEO ut exemplar sed solum ut perfectionem eius creatam carentem omni peccato vitio & innordinatione passionum & omnes virtutes in excelso gradu complectentem imitemur.

Verum cum & hoc exemplar posset nobis nimium difficile videri ad imitandum uti revera est tum propter Unionem Hipostaticam quia simul fuit DEUS & Homo Tum propter infirmitatem nostram providit Divina bonitas adhuc alia nobis magis proportionata puros videlicet homines quatenus Christum sunt secuti Talis est Beatissima Virgo Apostoli & alii Sancti.

Nobis autem primum & præcipuum axemplar perfectionis, ad imitandum debet esse *S. Augustinus cum S. Paulo Eremita* cuius virtutes ut clarius cognoscamus relegamus sæpius illud schema de Christo, Sanctoque Paulo Eremisantibus & vita nostra Sacro-Eremitica.

Causa Finalis per se ultima est DEUS Opt. Max. Immediata, Sanctitas. Mediata, DEI Gloria. Per se ultima extrinseca, beatitudo cælestis in altera vita cosequenda.

Quod si quæras An Omnes Religiosi obligentur ad Perfectionem. ℞. Quod sic : Patet ex vi status eorum qui passim status Perfectionis appellatur.

Quæres ulterius. Quomodo obligentur. ℞. Tametsi Religiosus præcisè non teneatur esse perfectus hoc est ut actu possideat Perfectionem sicut Episcopus quando tamen ex affectata negligentia vel ex contemptu non vult tendere ad Perfectionem, hoc est quando deponit animum proficiendi seu quando amplius non vult proficere peccat mortaliter. Est *S. Thomæ* & aliorum apud Lezanam *Cap. 1. Quæst. Reg.* Hoc ipsum attestatur *S. Hieron.* dicens Monachum nolle proficere est delinquere.

CAPUT II.

DE PRIMO GRADV PERFECTIONIS

EXpedita Natura Perfectionis atque adeo Charitatis in communi, agendum est de gradibus seu Effectibus eius quos ex eo momento quo in aliquo homine primum nata DEI beneficio est operari solet. Inchoandum igitur â primo qui nihil aliud est, nisi continuum studium tollendi, avertendi, & extirpandi, omnià impedimenta, quæ contra veram puritatem & munditiam cordis occurrunt. Quatuor autem Generaliter loquendo sunt præcipua quæ istam puritatem impediunt videlicet Peccata vitia Passiones & Tentationes. Proinde de omnibus nobis iuxta exigentiam nostri propositi erit agendum. Quod ut methodicè fiat. Paragraphus. *1mus.* erit. Quid sit peccatum quotuplex quæ eius causæ & quam necessario â Perfectionis studioso cavendum. *2dus.* Quid sit vitium & quæ præcipuè à Tyronibus vitanda & extirpanda. *3tius.* Quibus modis vitia vitanda, & extirpanda. *4tus.* De Passionibus in communi. *5tus.* Quomodo inordinatæ Passiones mortificandæ. *6tus.* De Tentationibus in comuni. *7mus.* De tentationibus in Particulari. *8vus.* Quomodo tentationibus resistendum.

§. I.

Quid sit peccatum, quotuplex, quæ eius causæ & quàm necessario â Perfectionis studioso cavendum

PEccatum iuxta mentem *S. August. & aliorum Doctorum.* Est Dictum vel factum vel concupitum contra legem vel præter legem. Quod ut intelligas,

Sciendum est quia Dominus DEUS noster volens humanam naturam per prævaricationem primorum Parentum corruptam â malo retrahere & ad similitudinem originalis perfectio-

nis

nis suo modo atque adeo ad æternam beatitudinem reducere, dederit homini legem, alteram Divinam alteram humanam præscribentem & in conscientia obligantem quid agere quidve fugere debeat.

Divina lex communiter dividitur in Naturalem & Positivam. Naturalis illa dicitur, quæ à DEO tanquam Authore naturæ insita est homini ut sunt illa præcepta lumine naturali nota: Declina â malo & fac bonum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & è contra Homo debet secundum dictamen rationis vivere. DEUS est omnibus præferendus, adorandus, timendus, &c. Positiva seu scripta illa lex dicitur quæ data est homini per Angelos vel per homines. Quæ rursum subdividitur in Mosaicam & Evangelicam.

Mosaica lex est, Quæ data fuit Moysi per Angelum ad disponendum populum Judæorum, ex quo Christus Nasciturus erat: quæ adveniente ipso Christo quoad præcepta Judicialia, & Cæremonialia, (non tamen quoad Decalogum) desijt unde lex vetus appellatur.

Evangelica lex est, quæ per Christum fuit data, & promulgata ad abneganda mala desideria ad piè iustè sancteque vivendum in hoc sæculo. Præcipua quæ in ista lege præcipiuntur, sunt: Fides, Spes, Charitas, Contritio, usus Sacramentorum, & his similia, quæ per scripturam, & traditiones ab Apostolis derivata hucusque Ecclesia conservat, & observare præcipit, unde & lex Nova seu gratiæ dicitur.

Humana lex item communiter dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem. Ecclesiastica illa dicitur quæ propter bonum Ecclesiæ respectu futuræ beatitudinis est sancita, ut sunt Præcepta ejusdem Ecclesiæ, Decreta Pontificia, Canones Sancti, Rægulæ Ordinum approbatæ, Constitutiones confirmatæ & alia his similia. Civilis illa dicitur, quæ propter bonum commune Reipublicæ respectu hujus vitæ est instituta, ut sunt leges Imperatoriæ, statuta, tam communia, quam particularia Regnorum. Edicta legitimorum Principum, & alia plurima, quæ etiam in Conscientia obligant,

Præsertim in Materia gravi & necessaria. Lex Ecclesiastica initium habet ex lege positiva Evangelica. Lex verò Civilis à lege Naturali sicut & Decalogus: Ex hoc igitur sciendo datur intelligi, quare peccata â SS. Doctoribus dicantur dicta, facta, concupita contra vel præter legem perpetrata.

Porro Peccata alia sunt venialia, quibus venia facile tribuitur, alia Mortalia quæ mortem animæ adferunt. Rursus Mortalia alia sunt Capitalia, alia sensuum ut visus auditus, odoratus, gustus, & tactus, Alia Oris, seu linguæ ut Detractio murmur, scurilitas, quæ ad rem non pertinet, contentiò, multiloquium, verbositas otiosa, æquivocatio, oblocutio, secretorum revelatio. &c. Plures divisiones non adfero Consule Theologos Morales, & Cathechismum Romanum.

Jam vero Quod attinet ad Causas Peccatorum variæ à varijs Assignantur. *Angelicus Doctor S. Thomas* Phænix omnium Theologorum quatuor generales peccati causas assignat. *1ma.* Est Ignorantia Culpabilis, quæ præviderì & impediri potest, ad ipsam revocatur Negligentia, Oblivio, & Inadvertentia. *2da.* Malitia seu Malivolitio ex industria vel ex defectu bonæ voluntatis. *3tia.* Imbecillitas seu infirmitas ad bonum arduum. *4ta.* Concupiscentia seu Cupiditas. Concupiscentia hæc alijs nominibus, vocatur â Sacra Scriptura aliquando vetus homo, aliquando appetitus sensitivus, aliquando fomes, peccati. (Hoc est dispositio ad præveniendum usum rationis circa objecta illicita quod provenit ex peccato Originali) aliquando Corpus, Caro, sensualitas.

Jam quod item attinet quam necessario à Perfectionis Studiosis peccata sint vitanda ostendunt hoc rationes. Tum quia gratia habitualis quæ est fundamentum perfectionis de ordinaria DEI potentia cum peccato mortali stare non potest. Tum quia Perfectio maximè acquiritur per Unionem hominis cum DEO, peccatum verò Mortale dividit, & separat hominem â DEO *teste Isa. c.* 52. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEUM. Ostendit hoc præterea finis proximus Incipientibus, & in primo gradu consistentibus propositus, qui non est alius quam

præ-

præterita peccata per Pænitentiam, delere, & pugnare, ne iterum in eadem relabantur. Cavendum ergo semper peccatum Mortale qui cupit extruere fabricam Perfectionis.

Immò cavenda etiam & declinanda sunt & peccata venialia. Tum quia & levia peccata impediunt Perfectionem, iterque ad eam retardant. Tum quia diminuunt Charitatis ardorem seu fervorem ut docent Theologi. Tum quia maculant & fædant animam committentis illa, Tum denique quia peccata venialia si quis in ea nullo negotio vel data opera prolabatur, disponunt hominem ad peccatum mortale, quod quantum obsit perfectioni, vidimus supra, ac proinde vel ex hoc capite pecata etiam levia sunt vitanda.

§. II.

Quid sit vitium, & quæ præcipue vitia à Tyronibus Vitanda, & extirpanda.

NOmen vitij varijs attribui solet. Alij attribuunt illud defectibus artis. Aliqui defectibus naturæ, aliqui attribuunt illud ipsis actibus vitiosis seu peccatis, sed minus propriè aliqui deniq; nomine vitij intelligunt affectionem pravam acquisitam non transeuntem, sed manentem in anima, eandemque ad aliquod iniquum opus, seu quod idem est, ad peccatum, inclinantem. Hæc ultimà acceptio est propria, in qua & nos in præsenti vitium sumimus de eoque tractabimus. Pro quo melius intelligendo.

Sciendum est vitium & peccatum esse diversa, quia hoc (nimirum peccatum) denotat, & involvit actum ipsum pravum, vitium autem habitum tantùm malum seu propensionem, & facilitatem ad actum malum alicujus peccati. Vitium est sedes, peccatum inquilinus ejus, unde ad quot & qualia quis peccata propendet, tot & talia habet vitia. quæ aliquando sunt citra peccatum, præsertim si insint propter naturalem passionum vehementiam.

Utrum verò extirpanda sint: Patet ex antecedenti Paragrapho quia si peccata non solum gravia, sed etiam levia tollenda sunt & cavenda ei, qui cupit proficere in via Perfectionis, pari quoq; ratione vitia cum sint habitus mali destruenda sunt; imò potiori jure, quandoquidem vitium quodcunque ut ait *S. Bernard* Est privatio virtutis & origo peccati, & semper nos ad peccatum inclinat, incitat, & trahit, & juxta S. Doroth. faciat hominem mancipium peccatorum.

Porro quænam præcipuè vitia Novitijs sint extirpanda difficulter determinari potest cum omnibus bellum indicere debeat, qui ad Perfectionem aspirat. Illud concorditer ab omnibus Magistris traditur ut præcipuam curam exerant contra ea quæ sibi sunt magis communia quotidiana & suo statui magis contraria, subijcio nonnulla.

1mum. est Pigritia sive ut vulgo dicitur Acedia, hoc est tædium sive tristitia de bono Spirituali Divino. Filiæ hujus vitij sex à Patribus numerantur. *1ma.* Malitia seu detestatio bonorum Spiritualium. *2da.* Rancor hoc est Indignatio contra proximos ad Spiritualia inducentes. *3tia.* Pusillanimitas. *4ta.* Torpor in lege DEI Constitutionibus, & legibus statûs & officij sui observandis. Hinc in Costitutionibus nostris severe præcipitur Magistro Novitiorum ut diligenter notet quâ promptitudine, quo Spiritu, quâ diligentia iniuncta sibi officia Novitius expediat: Qui enim languidè, tepide, tarde, & invitè sine solicitudine, & solum propter metum pænæ mandata superioris exequitur, certissimum indicium est, quia talis nunquam proficiet, sed emissa Sacra Professione tanquam inutile lignum frustra locum in Religione occupabit. *5ta.* Desperatio hoc est dißidentia, quod quas prætendis virtutes assequi non possis. *6ta.* Evagatio ad illicita & varia ut in illis solatii quidpiam inveniatur. Ab hoc vitio profluunt & allia ut Amaritudo Otiositas, somnolentia, cogitationum importunitas, curiositas, verbositas, Corporis, iniquietudo instabilitas. Cum eodem cohærent peccata omissionis, & negligentia in Divini obsequij rebus quæ ut sunt

innume-

innumerabiles, ita vix opus bonum aliquod invenies, cui aliquis horum defectuum ad junctas non sit aut in principio, aut in medio, aut in fine.

2dum. Vitium est Gastrimargia, hoc est in ordinata comedendi & bibendi appetitio. Species hujus vitij communiter quinque assignantur, quæ illis vocum Adverbijs exprimuntur. Lautè, Studiosè, nimis, Præpropere, Arder ter. Ex Gastrimargia generantur multi loquium, Scurilitas, inep a lætitia, immunditia, i ntellectus & sensum hebetudo, Ex eodem in Claustris proveniunt persæpe jurgia, murmura, conquestiones, mutua odia, proprium, pugnæ. Hinc Magister Spiritus *Thomas à Kemp. præmonet.* Frange gulam & facilius cætera vitia superabis.

3tium. est Sensuum dissoluta Evagatio. Malè ordinata est Civitas, in qua nullæ portarum excubiæ habentur, & Religiosus ille convincitur malè interius constitutus esse, qui nullam sensuum custodiam facit. Hinc in ijsdem nostris Constitutionibus commendatur Magistro, ut Novitium quam primum indutus fuerit, doceat circa ea, quæ spectant ad exteriorem hominis compositionem. Videlicet quomodo debeat aspicere, loqui, comedere, incedere, dormire, cum alijs conversari, totumque externum hominem Religiosè moderari.

4tum. Vitium, sunt Defectus Linguæ *S. Jacobum pro hac re adfero solum. Cap. 1. dicentem.* Si quis putat se Religiosum esse, non ræfrænans linguam suam, hujus vana est Religio. Propter hanc causam putarim in tot locis & tot horis præceptum esse nobis ad observandum silentium,

5tum. Superbia hoc est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ quo homo se super id quod est extollit. Ex superbia oriuntur. *1mo.* Inanis gloria quâ innordinatè quis appetit, cognosci, æstimari, & laudari ab hominibus. *2do.* Jactantia, qua quis per verba cupit super alios clarescere, seipsum laudando, bona quæ non habet jactando, aut quæ habet exaggerando, aut quæ occultare debuisset absque necessitate patefaciendo. *3tio.* Ambitio quâ honores & dignitates inordinatè appetuntur. *4to.*

Hypocrisis qua virtus quæ reipsa non adest fingitur. *5to.* Pertinacia, cum judicium nostrum præponimus, eorum judicio quibus par fuisset subjici, ne deciperemur. *6to.* Præsumptio, qua quis magna aut majora de se præsumit quam possit *7mo.* Contemptus, quo parvi facimus primum inferiores, deinde æquales, ac demum superiores.

Notandum verò vitia hæc non pro magnis & serijs tantum rebus, sed & pro levibus excitari. Pertinacia enim (ut his exemplis cætera pateant) quæ est quinta superbiæ filia non pro gravioribus semper, sed & pro levissimis quandoque suscipitur. Et inanis gloria prima progenies superbiæ, non in summis tantum cupit apparere, sed & in levioribus & Spiritualibus: Ut si melius alijs noverit scribere, legere, pronunciare, inservire, &c. Neque vitium pigritiæ ille tantum committit, qui graviora mandata omittit vel negligenter facit, sed & qui leviora non curat, ut, si lectionem non prævideat, si audito pulsu ad chorum statim non properet &c.

Præter quinque cum suis filiabus enumerata vitia certandum est, Incipienti Ascetæ adversus turpissimum Luxuriæ vitium, & quidquid cum eo aliquam habet affinitatem. Certandum viriliter & contra alios defectus externos suo statui Religioso contrarios.

Ante omnia vero mortificanda & extirpanda sunt vitia interna, Amoris, Judicij, & voluntatis propriæ. Non multum prodest *inquit Dionysius Richelius* amplas possessiones relinquere, jejunare, carnem macerare, silentium observare, externa omnia ordinatè peragere, si cogitationes & interni affectus non fuerint bene compositi & ordinati, Propterea, dicit idem, non desinunt conquestiones, iræ, tædia, tristitiæ, odia, & alia hujusmodi mala. Persæpe qui magna & omnia reliquerunt, propter modica turbantur, murmurant, pacem cum superioribus & fratribus rumpunt, quia internos affectus mortificatos non habent. Mortificanda igitur & extirpanda maximopere sunt vitia interna.

Et inprimis. Amor proprius, quo quis seipsum sibi quasi finem suarum actionum constituit hoc est, quo quis in omnibus operibus

bus suis non DEUM ejusque bonum intendit, sed suum sive carnis, sive propriæ excellentiæ etiamsi sit contra DEI voluntatem quærit. Ex hoc malo velut ex hydræ capite oriuntur inprimis peccata capitalia. Ex eo enim quia quis inordinatè seipsum amat, cupit honorari, magni fieri alijs, præferri, videri &c. quod est superbia. Ex eo, quia quæ grata sunt carni & sensibus sectatur, quod est Gula, vel Luxuria. Ex eo, quia pecuniæ, ad honores, voluptatesque fovendas, necessariæ inhiat, quod est Avaritia. Ex eo, si quid contra mentem & æstimationem accidat indignatur, quod est Ira. Ex eo, quia caret bonis quæ alius habet, contristatur, quod est Invidia. Ex eo, torpescit in spiritualibus detrectans vim sibi inferre, quod est Acedia. Ex eodem malo proveniunt alia pene innumera, ut Complacentia, contemptus aliorum, pudor Parentelæ & natalium, Hypocrisis, excusatio cum mendacijs, ambitio, imperfectionum propriarum occultatio & alia plurima his similia: præcipuè verò superbæ singularitates. Est immoderatus amor, sui principium, radix, caput, parens, generatioq; cæterorum vitiorum. Unde qui alia intendit debellare, amorem proprium in primis debet jugulare, in nulla re se suumque bonum quærendo, nihil propter se ultimatè faciendo, sed omnia tam interna, quam externa, propter DEUM ad explendam voluntatem ejus, ad laudem & gloriam ipsius volendo, quærendo, operando, & offerendo.

Deinde mortificanda & abneganda est, Voluntas propria, amoris proprij comes individua. Nomine autem propriæ voluntatis itelligitur pravus appetitus, qui in eo quod vult vel appetit, non est conformis voluntati Divinæ aut superiorum, aut denique proximorū, ut V. G. Qui vellet vigilare & vigilaret eo tempore, quo ex præscripto divinæ voluntatis, vel ex Statutis Ordinis, vel ex jussione Prælati, non est vigilandū is censeretur facere, quod propria voluntas dicit, Ita explicat *S. Bernard. serm. 3. de Resur.* cujus sunt hæc verba, Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum DEO & hominibus, sed nostra tantùm quando quod volumus non ad Honorem DEI, non ad utilitatem Fratrum, sed propter nos ipsos facimus, non intendentes placere DEO, & prodesse Fratribus,

sed

sed satis facere propriis moribus animorum nostrorum. Terribile est, quod refert Cassianus à multis senioribus, Monachis, multa experientia compertum, Monachum nullatenus prævalere ad summa Perfectionis culmina ascendere, nec iram vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, sed nec veram humilitatem cordis, nec cum Fratribus unitatem perpetuam, nec firmam diuturnamque posse retinere concordiam, sed nec in Cænobio quidem diutius permanere eum, qui priùs voluntates suas non didicerit superare, Et propterea ut idem ait: Hæc erat potissima cura antiquorum Patrum in instruendo Novitio, ut eum senior doceret primitus suas vincere voluntates studiosè ac diligenter eum exercens, imperando talia, quæ animo eius sentiebat esse contraria.

Præterea Mortificandum & abnegandum Judicium proprium, quod nec DEI nec Maiorum aut aliorum prudentum virorum iudicio conforme est, sed singulare nostrum ab aliorum sensu & sententia dissentiens, Consvetum enim est, imò & innatum intellectui nostro singularem esse & tenacem, vel potius contumacem, tam in conceptis opinionibus nostris relinquendis, quam in salutaribus sententiis & consiliis aliorum recipiendis. Efficiendum igitur est media mortificatione, ut sit tractabilis, docilis & conformis iudicio ac sententiæ suorum superiorum vel aliorum, prudentia ac virtute insignium, idemque quod illi sentiat. Hinc in nostris Statutis tanquam terminus Novitiæ Perfectionis per modum Epiphonematis appositum est, ut Novitii non suo sed Directoris iudicio regantur. Juvat hic attexere, quæ *Joan. Avilla, Magnus virtutis Magister in hac materia scripsit;* suis quondam discipulis Religiosis factis: Confortamini inquit in Domino & in potentia virtutis eius, ut penitus renuntiatis vobis ipsis, non cupiditati solum, sed potius intelligentiæ sensui ac iudicio vestro: Judicium enim proprium, est cælestis consolationis exterminator, hostis pacis, satelles contumax, censor superiorum, pater dissidii, rebellis obedientiæ, idolum in loco DEI Sancto stans, quod iterum moneo ut demoliamini, ut DEUS in vobis regnet.

Insuper oportet mortificare & coërcere vagas & importunas & in multa diffluentes Cogitationes quia ista sunt, omnium illicitorum, desideriorum, initium, verborum, & operum, qualesque cognitiones præcedunt, talia, plerumque verba, & opera, sequuntur quæ postea totam vitã, vel exornant, si fuerint bona, vel dedecorant, si fuerint mala, propterea diligenter cohibenda, ipso Deo admonente *Isai* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis

Quod si quæras. Unde quis cognoscere possit vitium sib. inesse? ℞. Præmissa lectione Authorum, qui de vitijs scripserunti *1ma.* Ex actibus proprijs internis, & externis, illius vitij. *2da* Ex propensione, & facilitate ad actus illius vitij. *3tia.* Ex frequentatione actuum illius vitij. *4ta.* Ex concionibus vel collatione, cum viro spirituali gnaro, proprietatum vitiorum. *5ta.* Ex Oratione, & speciali lumine DEI. V.G. vellet quis cognoscere an sibi insit iracundia, examinet se, an in se habeat actus internos, & externos, illius, an contendat cum alijs, clamet, contumeliâ afficiat, quot vicibus, & quam frequenter.

§. III.

Quibus modis vitia vincenda, & extirpanda

NOn cuilibet, præsertim Novitio, pervius est modus, vitiá vincendi, & extirpandi. Dabo hic aliquot quos si servaverimus cum auxilio Divino sine dubio victoria potiemur

Sciendum autem est, in primis modos à me afferendos non servire vincendis actibus vitiosis, hoc est peccatis, opere perpetratis, sed tantum habitibus qui nondum in actum exierunt, quia actus vitiosi opere consummati seu peccata aliis remedijs debent curari nimirum Sacrâ pænitentiâ, Contritione, Confessione, disciplinis, jejuniis, ciliciis, & aliis operibus satisfactoriis.

Sciendum *2do.* In vincendis vitiis dari tres gradus victoriæ. Primus gradus, hinc est quando affectio prava' ita compescitur ut propter labefactandam amicitiam DEI ad Mortale nunquam inducatur.

catur. Secundus cum ita malum coërcetur, ut ne quidem ad veniales lapsus,crebro facileque impellat. Tertius gradus. Cum ita omnis mali motus comprimitur, ut si se aliquando moveat,statim nullo labore comprimatur. His ita suppositis, ad propositum accedo.

Qui igitur Studio Perfectionis è domo cordis sui vitia vult extirpare ; Inprimis odium ac implacabilem, indignationem, adversus ea concipiat,quod non erit dificile, si eorum detestandam malitiam consideraverit. *2do.* Ex hoc vitiorum odio eliciat ingens desiderium ea vincendi , ardenti, desiderio adjungat. *3tium.* requisitum videlicet firmum propositum cavendi mala. *4to.* Assiduam orationem qua instanter, & humiliter â DEO petat, ut adversus vitium pugnanti victoriam, concedat, Postmodum proponat, ac firmiter statuat, quolibet, mane se tota die, in vitii extirpationem incumbere velle eo fine,& intentione ut soli DEO placeat, vel ut Victoriam ex hoste gratia ipsius reportet. Et hæc sunt quasi præambula pugnæ. Jam verò dum pugna ipsa advenerit dum præsens institerit, tentatio, & occasio, resistat fortiter, nec patiatur se â malo superari,illudque committere,& sic cessando ab operatione mali, dicetur vitium vicisse. Et hic primus modus, est, vitia superandi, & extirpandi.

2dus. Modus Est,resistere initiis tentationum illius vitii, quod nos infestat. In primo internarum, (*inquit B. Laurent. Justin.*) suggestionum , congressu ac corporalium voluptatum , incursu de cordis tui thalamo cunctorum vitiorum expelle insultus Qui vult catulos Leonum, Ursorum , Luporum & aliarum bestiarum cicurare, statim ab uberibus maternis oportet illos abstrahere , nam posteaquam succreverint, haut facile mansvefient, & arbusta qui vult ut rectè sursum crescant, â prima plantatione, oportet amputare, & in altum dirigere.

3tius. Modus Est efficacior præcedentibus, nimirum exercere, tum internos, tum externos, virtutum actus, vitio, quod nos infestat contrarios V. G. vult aliquis vitium iræ extirpare, assumat virtutem illi oppositam videlicet Mansvetudinem, & exerceat se

sæpius

ſæpius per diem, in actibus eius & quandocunque præſentit ſe ab ira ſolicitari. Similiter intendit aliquis diffidentiam ad Superiorem extirpare, (qui affectus ut plurimum ex ſuggeſtione Diaboli procedit) eliciat actus internos oppoſitos, videlicet cogitando eum eſſe in loco DEI, habere, Spiritûs S. aſſiſtentiam, eſſe Patrem, tum addat actus externos, videlicet vulnus ſuum ipſi aperiendo, prompte obediendo, reverentiam exhibendo &c. & facile de malo triumphabit. Eſſe vero hunc modum efficaciorem docet ratio, nam actibus contrariis contrariæ affectiones facilius convelluntur, & clavus clavo citius excluditur.

4tus. Modus Eſt crebrius per diem ad DEUM ſuſpirarě, præcipuè in principio horarum, aut actionum, cum renovatione propoſiti, & diffidentia ſuiipſius ut nos indignos ac indigos ex ſua bonitate contra vitium quod extirpare nitimur adjuvet.

5tus. Modus eſt, pugna ſeu congreſſio per menſem vel aliquod certum tempus cum aliquo certo vitio ex propoſito cavendi illud aſſumpta.

Tandem ad extirpationem vitij plurimum valet examen particulare ſemel aut bis in die, certo aliquo tempore faciendum an & quomodo pugnarim contra vitium quod ex propoſito aſſumpſi extirpandum. Praxis hujus examinis particularis dabitur infra.

Et hi ſunt Modi Generales, impugnandi & extirpandi vitia. Pro particularibus mediis quibus unumquodque vitium, quaſi hoſtis proprio teIlo confoditur, legatur. Buzæi Alvarez *Tom.* 2, *part.* 2. & alij de cura vitiorum in particulari tractantes.

Notandæ autem ſunt & ſervandæ, quinque circa hanc pugnam cum vitijs Regulæ. *1ma.* Non indicendum ſimul uno & eodem tempore omnibus vitiis ex profeſſo bellum, ſed adverſus unum quodque peculiare peculiariter pugnandum, ne ſcilicet multitudine fatiſcat, animus ſpemque vincendi, abjciat. *2da.* Regula á Capitali vitio primum incipiendum, ſeu quod idem eſt â radice, aliorum Nam ea præciſa facilè truncus, cum arbore, tota corruit. *3tia.* Ab eo vitio incipiendum, ad quod quis natura, propendet, nam & Dæmon, tentans nos, hoc obſervat, ut ait

 S. Eph-

S. Ephræm. 4ta. Ab externo vitio, ſeu ab actu illius externo repugnatio & deſtructio eſt incipienda, quia tale non modo delinquenti officit, ſed alios, quoque inquinat, ac offendit. 5ta. Extirpanda eſſe, quoque levia. A minimis, enim neglectis, periculum eſt, in maxima prolabendi. Nemo dicat, *inquit S. Doroth.* quid refert ſi verbum hoc dixero, ſi aſpexero, quid refert ſi culinam viſitavero, ſi modicum hoc comedero, quid refert, ſi in rem hanc intendero ? Ex hoc venit quid refert hoc ? mala ac perverſa, & amara conſvetudo admittitur, & imbibitur, & datur initium ut magna, & gravia, contemnamus.

§. IV.

De Paſſionibus in Communi.

DE hac Materia, ut pote maximopere cuilibet Religioſo neceſſaria. Sex puncta ſeu quæſita breviter, ordine tamen ſervato expediam ?

1mum. quæſitum. Quid ſit Paſſio ? Paſſio in propoſita materia nihil aliud eſt, niſi motus ſeu operatio appetitus ſenſitivi, tam concupiſcibilis, quam Iraſcibilis, qui ad bonum, quod ſibi conveniens credit vel malum quod nocivum ſibi putat movetur imaginatione.

2dum. Quæſitum Quot ſunt Paſſiones ? ℞. Paſſiones numero ſunt undecim. Quarum ſex videlicet, Amor, Deſiderium, Delectatio ſeu gaudium, Odium, Fuga, ſeu abominatio, & Triſtitia quæ & dolor nuncupatur, reſident in potentia concupiſcibili. Quinque autem reliquæ videlicet ſpes, Deſperatio, Audacia, Timor, & Ira, quæ & indignatio appellatur, reſident in potentia Iraſcibili.

3tium. Quæſitum unde oriuntur hæ paſſiones. ℞. Paſſiones has oriri ex objecto aliquo, tam bono quam malo per imaginationem, animæ ræpræſentato. Explico hoc propter faciliorem captum paulo longius, Res enim bona objecta ſenſui, inprimis

mis

mis trahit, & inclinat ad se animum, seu appetitum sensitivum, tanquam principium activum, & inclinatio illa erga bonum conceptum, & cognitum Amor dicitur. 1ma. Passio. Quod bonum si non habeatur, incitat prædictum appetitum ad illud procurandum & est Desiderium 2da. Passio. Quod bonum si obtineatur, efficitur, in apetitu quies, seu delectatio, & Gaudium ob præsentiam boni possessi, & est 3tia Passio. Contra res mala seu malum eidem appetitui per imaginationem objectum causat ex opposito alios affectus, & primo quidem aversionem, quâ ille conatur, malum â se avertere, & dicitur Odium, 4ta. Passio. Quod si studium accesserit, malum illud propellendi, dicitur Fuga 5ta. Passio. Quod si malum evitare, ac repellere non possit, sitque jàm præsens nascitur dolor qui dicitur Tristitia 6ta. Passio. Et hæc in concupiscibili potentia seu appetitu.

In Irascibili verò (quam *D. Basil.* vocat nervum animi ad res fortiter, & constanter, gerendas) si bonum appetitui huic objectum est arduum, sed tamen ita conceptum, ut obtineri possit efficit in eo spem consequendi 7mam. Passionem. Si verò concipitur quasi obtineri, non possit efficit, contrariam passionem videlicet, Desperationem. Rursum si malum illi eidem potentiæ, irascibili objectum est, quod ægrè depelli possit, & tamen homo confidat, se depulsurum, nascitur in appetitu Audacia, 9na. Passio. Sin verò diffidat se illud depulsurum nascitur Timor, 10ma. Passio. Jam verò si reipsa vel sola imaginatione sit malum præsens, nascitur 11ma Passio Ira, contra illud malum, & mali Authores quæ tum illud tum hos per vindictam tollere è medio nititur.

4tum. Quæsitum. Quotuplex est Bonum, vel Malum, quo appetitus sensitivus movetur ℟. Bonum quo appetitus sensitivus movetur dividitur â Philosophis in tres species, nimirum in bonum honestum, utile & Delectabile. Simili modo, & Malum, in tria dividitur mala bono contraria, nimirum in infamiam, damnum seu incommodum, & mæstitiam seu dolorem.

5tum. Quæſitum. Quale eſt hoc bonum & quale Malum ? ℞. Eſſe bonum verum vel apparens Malum itidem vel verum vel apparens. Quod diligenter. Notandum *ut ſequitur.*

Notandum eſt, ut paſſionum ſcopus clarè, & Diſtinctè cognoſcatur Ex cognitione enim qualitatis boni vel Mali, unusquisque facillimè intelligere poteſt, quando ſe ab aliqua Paſſionum impelli ſentit; An illa Paſſio ſit Ordinata, vel inordinata. Ordinata enim eſt, ſi verum bonum quærit, vel verum malum fugit. Contra Inordinata, ſi apparens tantum bonum appetat, vel apparens tantum malum deteſtetur.

6tum. Quæſitum. Quare hæ operationes appetitus ſenſitivi Paſſiones appellantur ? ℞. Quia ab illis corpus, quandam immutationem & alterationem, ſuo modo patitur. Amor enim ſpiritus in corpore accendit Gaudium, quodammodo membra ſaltare facit. Triſtitia ſpiriritum obtenebrat, & ſanguinem craſſat. Ira, choleram diffundit. Timor, Sanguinem ad cor attrahit, & hominem palidum facit. Hinc eædem paſſiones appellantur affectiones ſeu affectus appetitiones & perturbationes, quia ſubinde non ſolum corpus, ſed & rectam rationem turbare, tenebrasque ei offundere, & aliquo modo eam immutare ſolent.

§. V.

De modo Mortificandi inordinatas Paſſiones.

SUppono *1mo.* Mortificationem Paſſionis nihil aliud eſſe quam ſpontaneam ac liberam (ob DEI amorem, & ſtudium virtutis) repreſſionem ſeu cohibitionem innordinationis, aut vivacitatis nimiæ, quæ contra rectam rationem in appetitu noſtro ſenſitivo, & actionibus, ſeu Paſſionibus ipſius exoritur & reperitur,

Suppono *2do.* Mortificationem eſſe duplicem : Aliam externam, aliam internam. Externa fit per jejunium, cilicia, genuflexiones, vigilias, & alias exteriores, mortificationes, & macerationes. Interna per abnegationem & repreſſionem, propriæ

volun-

voluntatis, Judicii. & aliarum internarum facultatum & affectuum Externa mortificatio, sive interna, plerumque facit hominem tristem, impatientem, vanæ gloriæ cupidum, simulatorem seu potius Diaboli mancipium, qui sibi videtur aliquid esse cum nihil sit, quandoque & sanitatem propter indiscretionem adimit. Interna verò facit hominem lætum, tranquillum a pravis consvetudinibus liberum, peccato mortuum & DEO appropinquantem.

Suppono *3tio.* Res circa quas fieri potest mortificatio esse in triplici differentia. Malas Bonas, & Indifferentes. Male sunt quæ præcedunt à principio malo Divinis & humanis legibus contrario, ut Ira, Superbia, furtum, & alia mala tam mortalia, quam venialia. Bona sunt, quæ fluunt ex aliqua virtute & bono, sive Naturali, sive Supernaturali, ut Jejunium, patientia, paupertas, modestia, &c. Indifferentes seu mediæ sunt, quæ ex se neque sunt malæ neque bonæ, sed ratione voluntatis, & intentionis humanæ eas facientis vel illis utentis possunt esse bonæ vel malæ, ut divitiæ, honor, scientia, aspectus, comestio, potus, dormitio, amicitia, recreatio, &c.

Suppono *4to.* Circa res malas, omnino morificandos esse affectus, & Passiones nostras. Nam non licèt ullatenus & usquam peccare. In rebus bonis non necessario quidem debeant mortificari, sed si propter melius bonum (præcipuè spirituale) mortificentur magnum meritum acquiritur. In rebus medijs seu indifferentibus itidem non necessario mortificatio adhibetur, sed si fiat propter aliquam virtutem exercendam cum moderatione & discretione, magnus spiritualis profectus brevi comparatur.

Suppono *5to.* Diversam mortificationem diversis in rebus prout ex *2do.* Supposito patet exerceri posse. Aliqua optimè mortificatur per externam, aliqua per internam, aliqua per utramque. Quia verò hæc mortificatio (præcipuè passionum) plurimum exornat Religiosum virum, sicuti per contrarium immortificatio mirum in modum deturpat: Qualis enim est, *inquit S. August.* in oculis hominum qui inversis pedibus ambulat, talis est in oculis sapientum & Angelorum, cui inordinatæ dominantur

tur passiones. Propterea singulis mortificandis singulares eosque diversos adferam modos.

Incipio à priori. Amor, Inprimis mortificatur cogitationes & sensus aliorum divertendo. *2do.* Rerum inordinatè amatarum, vilitatem, brevitatem, turpitudinem, inutilitatem, & & alias imperfectiones considerando. *3tio.* Damna ex amore, & delectatione innordinata, promanantia perpendendo. *4to.* alijs sese rebus, quæ cogitationes distrahant, occupando. *5to.* Meliora, & amabiliora, V. G. Divinas consolationes cælestem gloriam, affectui obijciendo. *6to.* Exemplum, Christi Domini vel Beatissimæ, vel Sanctorum qui talem amorem respuebant, in memoriam revocando. *7mo.* Commemorando aliquid ex Sacra Scriptura, serviens de vel contra amorem.

Desiderium Reprimitur. *1mo.* Resistentia initio tentationum. *2do.* Consideratione quia res quam desideras non te satiabit possessa. *3tio.* Quia plausibile desiderij initium plerumque infortunatum sortitur exitum. Huc faciunt ea omnia quæ supra pro mortificando amore sunt dicta.

Delectatio. Hæc duobus modis consideratur, vel ut est in actu, vel ut nondum exijt in actum. Si nondum est in actu reprimitur ijs modis, quibus superius Amor, & desiderium. Si autem exijt in actum, aut est illicita aut licita. Si illicita reprimitur cessatione ab eadem. Si licita, exijt in actum, mortificatur. *1mo.* Moderatione, ne debitos, terminos excedat. *2do.* Commemorando brevitatem ipsius, vel alias majores & meliores, delectationes obiiciendo. *3tio.* Consideratione ultimi finis, hominem àDEO creatũ, non propter hujusmodi delectationes vel consideratione cruciatuũ inferni, commemoratione Judicii, mortis &c.

Illustro hoc totum exemplo V. G. Videt Religiosus meliorem vestem, celam, librum, portionem, & eius generis alia, quæ mox ut conspecta sunt placent appetitui tanquam bona (quod est Amor) statimque se ulterius appetitus extendit, volens habere cellam vel portionem illam (quod est Desiderium, si fortè detur, & obveniat eadem cella vel portio Succedit quædam in ap-

petitu qui es (quod est gaudium) Qui igitur prædictas passiones mortificare voluerit reprimat eas propositis medijs vel cogitationes cum sensibus aliorsum divertendo, vel imperfectionem rerum desideratarum exaggerando v. g. indigna est hæc portio, ut tu creatura rationalis, amore ejus vincaris. Vel damna ex re desiderata perpendendo. V. G. pro hac portione patieris famem purgatorij, vel majora bona affectando V. G. non appetas vilem hanc portionem saginandus aliquando gloria cælesti; Corpore Christi hodie pastus es, & hoc vile frustulum carnis, desideras. Vel Christum ut exemplar aspiciendo V. G. *Christus Dominus & S. Paulus Eremita Pater tuus*, vilissimis victitabant, tu exquisitiora affectabis? Esca ventri venter escæ, DEUS & hanc & hunc destruet. Quæ in exemplo portionis dicta sunt, eadem vel similia, in rebus aliis appetibilibus sunt observanda.

Odium mortificatur. *1mo.* Aversione cogitationis aliorsum. *2do.* Consideratione perfectionum rei exosæ, in qua licet tu nihil notes, quod te pronunc ad amorem invitet tamen certum est (si fuerit homo quem odisti) quod à Christo ametur, qui tum Doctrina tum exemplo proximi nobis dilectionem præcepit. *3tio.* Consideratione damnorum quæ ex inordinato odio profluunt, quia nimirum lædit conscientiam aliquando lætaliter animam occidit. *4to.* Repræsentatione appetitui eorum quæ verè odio digna sunt, in illaque odij conversione ut peccata mea, damnatio æterna, amor proprius, immortificatio sensuum &c. *5to.* Exemplum Christi Domini mansvetissimi Sanctissimæ Virginis & aliorũ Sanctorum commemorare. *6to.* Authoritatem aliquam commodam, Sacræ Scripturæ trutinare. *7mo.* Refrænatur odij Passio actibus externis illius rei quam odi. *Sic S. Franciscus* osculis ulcerum cujusdam leprosi superavit odium quod in se habuit contra leprosos sic alter *S. Franciscus Xaverius* exsorptâ sanie quæ ex ulceribus cujusdam infirmi effluebat vicit abominationem quam experiebatur dum pauperibus inserviebat. Sic plurimi alij fecerunt, odiumque contrariis actibus vel ex eo quod pænosi & fastidiosi erant sedarunt.

Fuga. Mortificatur. 1mo. Consideratione quia persæpe plurimum conducent animæ quæ propter carnem abominamur. 2do. Quia quæ ab initio abominamur successu temporis usu & consvetudine amamus. 3tio Curatur ijs medijs quibus & odium quod enim inordinatè odimus etiam inordinatè fugimus quod odisse nec fugere deberemus.

Tristitia Quæ sæpe magis ab æstimativa oritur & apprehensione, quam â malo ob quod contristamur quod experientia in nobis ipsis videmus, dum ob rem aliquam quæ nos prius valde (contristabat V. G. verbum injuriosum) post aliquos elapsos dies non usque adeo contristamur cujus rei alia non est causa quam ipsa mutatio æstimationis & apprehensionis, cum ipsum malum mutatum non sit. Curatur 1mo. Præmeditatione mali quod sequi potest. 2do. Dum malum advenit, cogitare hoc ipso nobis offerri magnorum, meritorum occasiones, scilicet patientiæ, huhumilitatis. 3tio. Considerare quid alij passi sint vel nunc patiantur in hac, vel in futura vita. 4to. Superiorum tribulationum â quibus jam ereptus es, meminisse. 5to. Considerare hoc fieri ex voluntate DEI, quam quotidiè petimus fieri in oratione Dominica. 6to. Investigare causam propter quam contristamur si est peccaminosa & ex nobis eluere illam per Sacram pænitentiam, si non peccaminosa neque ex nobis putare indignam esse tristitiâ nostrâ. 7mo. Representare intellectui ea quæ verâ tristitiâ sunt, digna, cujusmodi sunt, damnatio æterna, peccati deformitas, imperfectio nostra. 8vo Revocare sibi in mentem exemplum Christi, Beatissimæ vel Sanctorũ qui plurima multo majora sunt perpessi Juvat ad tristitiam minuendam considerare detrimenta ejus, quæ ex sententia Magistrorum Spiritualium, tam multa & tanta sunt ut asserant nullâ hac passione esse nocentiorem quæ hominem in majora tam animæ quam corporis pericula protrudit. Ex tristitia enim proveniunt deliquia, apprehensiones, phreneses illusiones Diabolicæ, tentationes variæ, desperationes judicio proprio tenacissimæ adhæsiones, ineptitudo, imò pravus contemptus, salutarium, consiliorum, atque adeò periculum salutis æternæ. Ex eadem tri-

stitia

ſtitia promanant quandoque morbi ſubitanei, inſoliti, periculoſi, imo & mors ipſa, corporalis. Juvant præterea ad minuendam triſtitiam lacrymæ; Denique quodcunque delectat ad minuendam mæſtitiam facit.

Illuſtro hoc itidem exemplo : V. G. Videt Religioſus cellam, incomodam, in loco obſcuro, clauſura feneſtrave, & alijs non bene inſtructam, confeſtim ſubit quædam appetitûs, averſio ab illa cella tanquam mala (quod eſt Odium) motuque celerrimo, quantum ad ſe attinet, non vult manere in illa cella, (quod eſt fuga, ſeu abominatio,) ſed quia à Superiore jubetur manet, verum non libenter, & cum faſtidio , (quod eſt Triſtitia) talis ergo mox ut adverterit hujusmodi Paſſiones in ſe exoriri contra illam cellam, vel contra quidpiam aliud, reprimat eas , prædictis modis : Vel cogitationes aliorſum avertendo, vel bona cellæ Illius expendendo, vel occaſionem meriti attendendo, vel illa quiæ verè odio digna ſunt commemorando, vel exempla aliorum Religioſorum, Beatiſſimæ Chriſti Domini memoriæ, ſuæ proponendo, recollendo, quanto incommodiorem locum habuit pro te, Chriſtus in Cruce &c.

Spes , Inordinata Curatur. *1mo.* Conſideratione Vanitatis, earum rerum quas vel in quibus ſpero. *2do.* Commemoratione exemplorum eorum hominum qui cum ſuam ſpem, in hominibus & iſtis mundanis collocaſſent, miſerrimè & vixerunt, & mortui ſunt. *3tio.* Suſcitatione ipſiusmet ſpei ad vera bona ſperanda V. G. ad perfectionem obtinendam , & ad felicitatem æternam conſequendam.

Audacia. Curatur ijs modis, quibus & ſpes inordinata nam in quibus caſibus non eſt bonum ſperare non eſt bonu m etiam audere, & in quibus ſpes moderanda eſt, in ijs multo magis Audacia, reprimenda. Proderit multum in Audacia, inordinata, excitare ſe ad difficultates arduas, quarum victoriæ ſunt piæ, & perutiles V. G. Ad imitationem Chriſti Beatiſſimæ SS. V. G. ſi ſperare juvat, ſpera in DEO & fac bonitatem, ſi audere vis aliquid, aude contra tentationes, & difficultates quæ te, à Dulciſſimo JESU re-

SU remorantur, & felix eris. Intuere Sanctos DEI quanta illi pro virtute, pro cælo, pro DEO tolleraverunt, quorum tu pietatem imitari aude.

Desperatio· Opposita spei, quæ novos Christi milites, abjectos, & ad Perfectionem ineptos, reddit. Curatur *1mo.* Exemplis aliorum qui in casibus, plane desperatis, quod piè desiderabant sunt consecuti. *2do.* Fiducia in bonitate DEI, qui in rebus ad salutem æternam necessarijs nunquam deest, V. G Desperat aliquis, se posse Religionis onera tollerare revocet sibi exempla aliorum qui similiter homines ut ille fuerunt, potuerunt isti, & tu non potes? Occurrat spes bonitatis DEI cui facillimè est cohonestare pauperem, occurrat ratio dissonum esse â bona mente desperare Perfectio enim non est opus unius diei.

Timor. Audaciæ oppositus qui naturam segnitie gravat hominemque totum suspicionibus, consultationibus, inutilibus, & malorum, immentium metu compedire solet. Curatur *1mo.* Iis remedijs quæ supra pro inordinato. Amore curando assignavimus: qui enim inordinatè non amat, nec timet. *2do.* Curatur etiam illis quæ supra Tristitiæ, mitigandæ, attulimus. *3tio.* Curatur timor, consideratione parvitatis rei quam exhorescit, vel excellentiæ virtutis cui reluctatur. *4to.* Consideratione Divini auxilij sibi affuturi· *5to.* Exemplis Sanctorum, demandatur V. G. cuipiam â Superiore ut in culina serviat, mox appetitus qui commoditates amat subducit se, tanquam â malo arduo ab illis servitijs (quod est Timor) Qui ergo sic afficitur adhibeat prædicta reremedia· Cogitet leve esse quod ex horescit, nihil impossibile sibi imperari, imò magnam virtutum materiam subministrari. Vel dicat: Dominus protector vitæ meæ â quo trepidabo. Proponat ante oculos alios Fratres, & dicat potuerunt isti, & ego non potero. Proponat cæleste præmium quia momentum laboris æternum gloriæ pondus operatur.

Ira, Passionum omnium efferatissima bestia, quæ cum ex ijs quæ ad dishonorem reducuntur potissimũ excitetur, tanto citius & pejus prodit quanto à vitio priori videlicet superbia proficiscitur. Curatur

autem

autem. 1mo. Mortificatione propriæ existimationis & concupiscentiæ ad res temporales. 2do. Taciturnitate non loquendo neque faciendo ea, quæ animus suggerit loquenda, vel facienda, quando Ira fervet. 3tio. Diminutione opinionis de gravitate injuriæ, propter quam irascimur. Persæpe enim constat injurias, propter quas irascebamur, transacto Iræ furore vel admodum exiguas vel nullas fuisse. 4to. Considerare damna quæ ex iracundia sequi solent cujusmodi sunt læsio fraternæ charitatis, conscientiæ propriæ, morbi caduci, mors repentina. 5to. Suscitare se ad veram iram scilicet irasci proprijs peccatis 6to. Sanctorum ac præsertim Christi Domini Mansvetudinem perpendere eamque imitari. Non illustro rem exemplo ex supra dictis enim facile formari potest. Et hæc sunt è multis pauca mortificandarum passionum remedia.

Notanda autem & observanda sunt quædam circa hanc passionum Mortificationem. 1mo. Passiones has posse exerceri utiliter, si ad res divinas & salutares bonasque transferantur: Unde mortificatio earum non debet esse talis ut omninò separentur & evellantur â vita carnali (alias & ad bonum & ad res divinas non possent exeri) sed ut cohibeantur & à malo retrahantur. Tonsioni similis debet esse hæc mortificatio & mortificans tonsori; sicut enim ille capillos barbæ tantùm præscindit radicem vero pilorum non evellit quoniam id fieri non debet nec sine deformitate potest, sic & hæc mortificatio, superflua tantum nostrarum passionum resecare debet ipsas verò passiones nequaquam evelere quia talis evulsio est impossibilis & dignitati naturæ humanæ plurimum officeret.

2do. Non omnes ab eadem passione neque eodem modo infestari, sed alios ab ira, alios ab amore, alios ab odio, alios â Tristitia, hos mitius illos acutius & molestius vexari. Quamobrem unusquisque studiosissimè dignoscere curet, â quonam potissimum & quomodo divexetur, ut remedia opportuniora pro necessitate & exigentia mali adhibeat.

3tio. Fontem harum Passionum esse Amorem, unde qui de alijs victoriam reportare voluerit, Amorem mortificare noverit.

tit. V. G. videt quis bonum delectabile majorem scilicet portionem, mox Amore incalescit animus erga illam, si sibi obveniat exultat gaudio, si non, odit cocum disponentem vel Fratrem deferentem cibos abominatur, tristatur irascitur &c. Qui ergo talibus affectionibus succumbere non vult: Amorem, sciat moderari & malum facile vitabit.

Notandum & observandum 4to. Mortificationem harum Passionum ab humili Divini auxilij imploratione inchoandam esse: Cum enim res sit laboriosa & corruptæ naturæ nostræ contraria difficulter haberi potest, nisi homo desuper adjuvetur.

Universim autem pro Mortificatione cujuscunque Passionis observandum est valde utile esse si passio & rerum circumstantiæ id ferant, ad mortificandam inordinatam Passionem, actum aliquem externum illi directè contrarium elicere & opponere. V.G. si quis Irâ, fervescat opprobrijs exagitetur, si quis nitidæ vestis amore tentatur, lacerâ induatur, si quis supra alios se extollit publice confundatur & sic de reliquis. Nam ut vulgo dicitur ab assvetis non fit Passio.

Has autem externas oppositas mortificationes, non tantum injunctas libenter ferre sed & â Magistro exquirere ultro debet qui Passiones mortificare desiderat.

Valde itidem utile est non tantum ad Passiones mortificandas, sed & ad quævis alia Peccata & vitia extirpanda proponere sibi certum quendam numerum actuum tam internorum quam externorum, alicujus vitij quotidie superandorum. V. G. Quinquies mane vincere Iram in honorem & Memoriam quinque vulnerum Christi totidemque post Meridiem, & sic sensim eos augere donec perfectissimam mali, nostrique victoriam fuerimus assecuti.

§. VI.

De Tentationibus in Communi

EA quæ hactenus dicta sunt sufficerent ad cognitionem Primi Gradus atque adeo ad puritatem animæ consequendam, nisi Tenta-

Tentationes obstarent, quæ, licet homo peccata pænitentiâ deleverit, vitia extirpaverit, Passiones edomuerit, toto vitæ tempore tanquam muscæ solent nos infestare. Quare subministrabo hic modum ijsdem resistendi, ubi prius generales quasdam doctrinas de Tentationibus in Communi omnibus incipientibus valde necessarias per certa puncta seu quæsita proposuero.

Quæsitum *1mum.* Quid sit tentatio? Tentatio est tentamen seu pugna vel impugnatio quædam quâ quis ad malum patrandum allicitur.

Quæsitum *2dum.* Quod est subjectum tentationis? ℞. Est quilibet homo, tam enim peccator quam Sanctus in omni peccati materia in qualibet ætate & contra omnem virtutem tentari potest.

Quæsitum *3tium.* Quotuplex est Tentatio? ℞. Tentationes sunt multiplices pro varietate statuum & tentatorum. Aliæ enim sunt Incipientium, aliæ Proficientium, aliæ Perfectorum. Item aliæ sunt â Diabolo aliæ â mundo aliæ â Carne.

Quæsitum *4tum.* Quot & quæ sunt Tentationes Incipientium? Prima Tentatio Incipientium est: Tædium in spiritualibus. *2da.* Indiscretio in Mortificationibus in præcibus & alijs pijs exertijs. *3tia.* Si quid contra suam mentem viderint sive in Superioribus sive in Fratribus sive in statutis Ordinis hinc volunt statim Magistri fieri & alios corrigere licet ipsi adhuc non didicerint. *4ta.* Affectatio spiritualium consolationum *5ta.* Diffidentia seu Desperatio de sua in Religiosâ vocatione perseverantia. *6ta.* Memoria ante actæ vitæ voluptatumque ejus, quibus ad mundum & carnem retrahuntur, *7ma.* Conscientiæ inquietudo seu scrupuli. *8va.* Occultatio tentationum & insincera cum Superioribus tractatio.

Quæsitum *5tum.* Quæ sunt tentationes Proficientium? ℞. *1ma.* est Pusillanimitas. *2da.* Zelus inordinatus & indiscretus, tum alios redarguendi tum exteriora observandi. *3tia.* Tepiditas in injunctis sibi officijs exequendis. *4ta.* Amor nimius unius loci, cellæ, Monasterij, Officij &c. *5ta.* Ambitio honorum Officiorum, vanæ gloriæ. Quæ-

Quæsitum *6tum.* Quæ tentationes sunt Perfectorum ? *1ma.* est occulta superbia. *2da.* Conficta Imbecillitas & infirmitas. *3tia.* Persecutio acerbior quam DEUS ex oculta sua providentia solet immittere. *4ta.* Eaque gravissima est interior desolatio.

Quæsitum *7mum.* Unde tentationes proveniunt ? Tentationes oriuntur vel ex causis externis vel internis. Causæ externæ sunt tres. *1ma.* Diabolus qui nos innumeris astubus infestat. *2da.* Mundus, id est, mundani homines qui nos vel exemplis vel svasionibus vel minis ad malum inducunt. *3tia.* Creaturæ quæ sua svavitate & pulchritudine ad malum & abusum nos pelliciunt. Causæ Internæ itidem tres. *1ma.* Caro quæ alio nomine sensualitas seu appetitus sensitivus appellatur. *2da.* Sensus omnes quibus ad delectabilia inclinamur. *3tia.* Consvetudo prava seu mali habitus, malâ vivendi licentiâ acquisiti.

Quæsitum *8vum.* An subinde etiam ipse DEUS tentationes immittat. ℞. Quod sic. Sed quare ? *1mo.* Ut propriæ imbecilitati relicti videamus quam miseri simus, ad humilitatisque sensum redeamus. *2do.* Ut fidelitatem nostram experiatur. *3tio.* Ut nova aut antiqua peccata castiget. *4to.* Ut meritum augeat majoremque gloriam pro victoria concedat.

Notandum tentationem non turmatim sed gradatim agere & nos aggredi videlicet, suggestione, negligentiâ, seu delectatione & Consensu. Suggestio tunc fit dum hominis appetitus sensitivus ex causa aliqua, sive interna sive externa ad rem illicitam subito ante omnem advertentiam & usum rationis commovetur. Negligentia tunc fit, dum intellectus suggestiones in appetitu sensitivo, sive ex causis externis, sive internis exortas negligenter rejiciendo permittit, ad illicita & per illicita, ferri & vagari. Consensus tunc fit dum intellectus cum voluntate tentationi de re illicita deliberate inhæret, eique consentit: *vel ut loquitur. Bonac:* Consentire & velle quod appetit sensualitas.

Notandum *2do.*. Prædictos Tentationis gradus aliquos esse sine peccato aliquos cum pecato veniali aliquos cum mortali. *Primus* Gradus qui fit suggestione, nonmo-

non modo non est peccatum ullum, sed potius occasio meriti & virtutis si illi reluctetur. *2dus.* Qui agitur negligentiâ seu delectatione, si fiat sine plena deliberatione & consensu in malum, est tantum peccatum veniale, sin autem fiat cum advertentiâ & tacita voluntatis approbatione, (quæ etiam in ictu occuli potest accidere) est peccatum mortale. Hanc tacitam voluntatis approbationem aliqui Doctores vocant tacitum Consensum, alqui simplicem Complacentiam absque affectu ad opus, aliqui vocant delectationem morosam non à temporis, sed à rationis tacitè assentientis mora quæ ùt dixi in momento temporis accidere potest, & quæ eo, ipso, quia post advertentiam non reijcitur verè & deliberatè esse censetur. *3tius.* Gradus, qui consistit in consensu semper est peccatum mortale, nisi res sit levis, nam consensus in rem levem levis quoque seu venialis est culpa.

Ex dictis colligitur. *1mo.* Tentari, impugnari, & ad nequitiam in auditam Sollicitari, peccatum non esse à quacunque causa tentatio proveniat, dummodo tentationis sensum nulla sequatur in resistentia, negligentia, vel aliquis voluntatis consensus.

Colligitur *2do.* Ad quodlibet peccatum duo requiri videlicet intellectus advertentiam & voluntatis tacitum vel expressum consensum, quod bene notent incipientes, ut consensum â tentatione, peccatum â non peccato Mortale â veniali dignoscant. Hinc si non solum appetitus sensitivus, sed & ipse intellectus varijs illicitis vel turpibus, etiam per horam integram inhæret (quod in officio Divino & alijs sacris advenire potest) si per inadvertentiam vel sine consensu id fieret, culpa mortalis non admitteretur.

§. VII.

De Tentationibus in particulari sive de Tentatoribus Diabolis.

PRimus Tentator Diabolus vocatur *Cur.* Hic primos Parentes decepit. *Cur.* præcepit vobis DEUS ùt non comederetis

retis ex omni ligno Paradisi *Gen. 3. Cap.* Hic sæpe tentat Fratres præcipue Novitios quando ex impulsu illius ipsis leges Religiosæ, Præcepta superiorum non ad eorum veniunt sensualitatem, quare easdem vocare solent superfluas cæremonias ac inutiles observationes.

2dus. Tentator vocatur *Nequaquam* Hic nequam primorum Parentum fuit ruinæ causa quando eisdem dixit *Nequaquam* moriemini Ab eodem Tentatore pulsari solent Novi Religiosi qui Magistris suis & Patribus Spiritualibus non credunt.

3tius. Tentator vocatur *Plùs.* Hic svadet incipientibus ut *Plùs* orent, *Plùs* se mortificent quam pia svadet consvetudo & hoc ideo faciunt ut videantur ab hominibus & de sua Perfectione, majorem existimationem accipiant. Tales per nimias mortificationes corpus debilitant & ita redduntur in habiles ad ulteriora onera Religionis.

4tus. Tentator vocatur *Minùs* qui è contrario incipientes inducit ut minus faciant quam leges Religiosæ de ijsdem requirunt; quare ad orandum, legendum, meditandum, vigilandum, laborandum, & mortificationibus vacandum, redduntur tardiores.

5tus. Tentator vocatur *Melius* Hic cum nequeat sub specie boni servos DEI decipere tunc quærit illos decipere sub specie majoris boni. Seu melioris. Præsens Diabolus ruinas incipientibus molitur dum eos pulsat potius vacandum studijs meliotibus qualia sunt cultus silentij, lectio, meditatio, Oratio, quam vacandum exetcitijs externis, quæ à superiore demandantur. Hi rebelles fiunt dum hujus Diaboli & propriæ voluntatis malesanum ductum sequuntur. Contra quos illa *S. Bern:* fulminat sententia: *Grande malum propria voluntas, quâ fit ut bona tua bona non sint, etenim si in die jejunij mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit DEUS, nec sapit illi jejunium meum, quod non obedientiam, sed vitium propriæ voluntatis sapit.* Et de alijs exercitijs sic prosequitur. *Ego autem non solum de jejunio sed de silentio, de vigilijs, de Oratione, de lectione, de Opere manuum, postremo de omni ob-*

servantia

servantia Monachi, ubi invenitur voluntas tua in eo, & non obedientia Magistri sui idipsum sentio minime prorsus observantias illas, & si bonae ipse inter virtutes censuerim deputandas.

6tus. Tentator appellatur *Medicus* Hic suggerit non insistendum lectioni, ne oculi destruantur, non surgendum ad matutinum ne dolor capitis, & debilitas corporis acquiratur. Non laborandum ne detur occasio infirmitati aut morti, his & alijs suggestionibus facit Religiosos daesides, molles, otiosos, delicatos, vitaeque longioris cupidos, *Contra quos ipse Dominus ait:* Regnum caelorum vim patitur & violenti rapiunt illud. *Matt. 11. & C. 7.* Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via, quae ducit ad perditionem. *Item C. 24.* Vigilate, quia nescitis diem neque horam *Item Job: 5.* Homo nascitur ad laborem *Item Apostolus Paulus 1. ad Corinth: 3.* Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. *Item.* hic Medicus suggerit impatientiam, ut conquerantur Novitij contra incommoditates.

7mus. Tentator vocatur *Scrutator* Hic stimulat Fratres ad scrutanda opera, intentiones, & Merita aliorum fratrum; ut inde occassionem eos vilipendendi & se magnificandi accipiant. Vel ut suos defectus illorum imperfectionibus contegant. Item excitat eosdem ad examinandum praecepta, decreta ordinationes Superiorum. An videlicet justè, rectè, piè discretè, ac prudenter per eos factae sint.

8vus. Tentator appellatur *Discretus* Hic docet Fratres, vocare Superiores suos indiscretos, quando eorum puniunt defectus eos in charitate erga Superiores refrigescere facit, ac monita eorum correptionesq; spernere; odioq; habere. Contrâ quos Christi verba tonant *Luc. 10.* Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit, spernet eum ille qui misit me, & *Prov: 1.* Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea, quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum & increpationes

 meas

meas neglexiftis, ego quoq; in interitu veftro ridebo. Imo illi Superiores erga fuos Fratres indifcreti dicendi, qui eos non exercent in adverfis.

Inftat malignus fpiritus, quod illa vexatio & crebra correptio fit occafio turbationis Fratrum impatientiæ ac incitamentum paffionum ad malum potius, quam ad exercitia virtutum. *S Hieron: & S, Chryfoft:* Opponunt fe huic tentationi & dicunt quod illa correptio Superioris non ad impatientiam concitat Fratres, fed potius ad patientiam, nulla enim via eft ad patientiam, quam fuftinentia correptionum. Præceptum illud Sancti Pauli Superioribus quadrat; educate illos in difciplina & correptione Domini.

Inftat ulterius levitas, quod ilii Superior fit indifcretus, imo perfecutor, & oppreffor, ac turbator Fratrum, qui Fratrem defectuofum non ex charitate fed ex paffione aut odio, punit. Sed ℞ quod non ille Superior dici debet turbator, licet per eum fubditi ad bonum compellantur, & quodammodo turbentur, Sed Fratres potius funt turbatores, qui immemores fuæ vocationis aut profeffionis fuæ contraria legibus fuæ Religionis faciunt. Unde Elias *Regi Achabo dicenti fibi 2. Reg.* 18. Tu es qui conturbas Ifrael? ℞. Non ego turbavi Ifrael, fed tu & Domus Patris Tui, qui dereliquiftis mandata Domini. Poteft jure merito & fuperior dici turbator Fratrum immortificatorum, ficut Chriftus Dominus Herodis & Hierofolimæ qui nulli quidem dedit occafionem turbationis tanquam Rex pacificus, pacificans per fangvinem Crucis, five ea quæ in Cælis, five ea quæ in terris, fed unusquisque malæ voluntatis ex ipfius adventu illam fibi fumpfit. Item bonus fuperior, bonorum fratrum poteft effe turbator, quia & bonus Angelus bonam turbavit Mariam Item bonus fuperior poteft dici bono fenfu Perfecutor Fratrum bonorum. Duplex enim eft perfecutio Alia *Odij* qualis eft tyrannica in Chriftianos, & Hypocritarum infervos Chrifti, quam & ipfe Chriftus fugere fvadet: fi vos in una perfequentur Civitate, fugite ad

te ad

te ad aliam. Alia persecutio est Charitatis qua persequuntur Parentes filios, Magistri Discipulos, rationabiliter. eosdem castigando ut vel illorum præteritos corrigant defectus, vel à futuris præservent. De hac pia persecutione. *S. Chrysostomus ait*: sicut justa ira non est ira sed diligentia, ita justa percussio non est percussio, sed correctio. *Item Clemens Alexandrinus*. Qui Gratiam loquuntur, parum diligunt, qui autem ad utilitatem acerbi sunt in futurum, sæculum beneficio afficiunt. *Item S. Aug.* Molestus est medicus furenti phrænetico & Pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo, si autem illos negligant & perire permittant, ista potius falsa mansvetudo crudelitas est. En & ipse spiritus loquitur Tene disciplinam ne dimittas eam custodi istam quia illa est vita tua *Prov.* 4. *&* *Sap.* 1. Sapientiam enim & disciplinam qui abiicit infelix.

9nus. Tentator vocatur *Zelosus* Hic irritat incipientes adversus superiores & alios fratres in Religione antiquiores ut eos judicent non servare Regulam Constitutiones decreta, sedis Apostolicæ imo ipsa præcepta Divina & si quid contrâ eorum placitum fiat exinde scandalizantur vel si delinquentes leviori pæna puniuntur, inde offendantur. Et Hic vocatur *Zelus* iniquus vel Hypocriticus qui in oculo proximi videt festucam in proprio grandiorem non advertit trabem.

10mus. Tentator vocatur *Perfectus* Hic Fratres incipientes opinione propria facit *Perfectos* & eosdem de sua perfectione præsumere cum illo Evangelico Pharisæo DEUS gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus *Luc.* 18. Contra quos illud sonat *Eccl:* 7. Noli esse nimium justus.

11mus. Tentator vocatur *Curiosus*. Hic persvadet incipientibus Religiosis occulta ac secreta aliorum investigare & Coram alijs propalare, audire nova, videre pulchra, habere chara, & quæcunquè grata sunt sensibus experiri. Iste Diabolus facit Religiosos vanos, mundanos, indevotos, & vocationis suæ immemores.

12mus. Tentator vocatur *Laudipeta* ab hoc tentatore se ducuntur, qui bona faciunt non ut soli DEO placeant, sed ut videantur ab hominibus & laudentur.

13us. Tentator appellatur *Lascivus*. Hic incipientium commovet appetitum infimũ seu Brutalem ad concupiscendum pastum & potum saporosum, delicatum immoderatum non tam corporali necessitati, quampotius gulæ & luxuriæ deservientem ad aspiciendam oculo immortificato & amandam affectu sensuali speciem alterius sexus, ac sæpe conversandum & jocandum cùm ejusmodi personis &c.

14tus. Tentator vocatur *Tetricus* Hic Tentator incipientibus suggerit cogitationes tristes, turbulentas, superbas, iracundas, invidas, severas, quærulosas, suspiciosas, amaras, inhonestas, irreverentes, & malignas.

15tus. Tentator vocatur *Blasphæmus*. Hic stimulat incipientes contra superiores & confratres, contra Religionem, ac Religionis institutâ contrâ fidem, contrâ fidei ministros, contrâ Sanctos eorumque imagines, contrâ DEUM ac ejus judiciorum vias investigabiles.

16tus. Tentator vocatur *Amor placendi*. Hic svadet Ascetis favorem, amicitiam, benevolentiam, & gratiam hominum magnificare, nimio studio captare ut his inescatos paratos efficiat. DEUM potius offendere, ac legem ejus violare, quam hominibus displicere. Ejusmodi favorem fugiebat *S. Paulus Apostolus ad Gala.* 1. Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem. *Et David Psal: 62. ait*: Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos. Placere nihilominus hominibus propter illorum utilitatem Spiritualem utile est, quo sensu *S. Paulus* voluit placere Discipulis suis, eorum proximis dicens *Ad Roman*: 15. Unusquisquè proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Quare & de se ipso ait *idem Act.* 1. *Cor.* 10. Per omnia omnibus placeo non quærens quod mihi uttilè est sed quod multis, ut salvifiant.

17mus.

17mus. Tentator vocatur *Timor displicendi.* Hic ijsdem stimulis exagitat fratres incipientes, quibus Superior.

18vus. Tentator appellatur *Linguax.* Hic incitat incipientes ad immodicam & incircumspectam, loquacitatem quæ aliquo peccato carere nequit: *ut patet Prov.* 10. In multiloquio non deerit peccatum. Ut poté aut mendacij, aut jactantiæ, aut adulationis, aut irrisionis, aut contentionis, aut murmurationis, susurrationis, detractionis, &c. *Quare S. Ambros. ait:* Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse vix quempiam tacendo.

19nus. Tentator vocatur *Si.* Hic tentat incipientes per suppositionem circa possibilia V. G. quando cernit bonum Novitium incautum, orationi diligenter insistentem, mortificationi & virtutibus incumbentem, ac in perfectione Religiosa proficientem, mox ei ad meditandum proponit. Quid faceres si te ex ista Religione eijcerent, postea fraudulenter ei svadet, ut omninò resignatam voluntatem habeat ad Divinam, circa se hujusmodi ordinationem, affirmans, quod facilè jam possit servire DEO in sæculo, quandoquidem tantopere profecerit in vita Spirituali, quod si in peccata recideret, non sua esset culpa, sed eorum qui se ejecerunt, vel suggerit ei quod possit aliam Religionem ingredi si sibi placuerit vel quando advertit aliquem bonum, Religiosum, in proposito æterno sese exercere ac roborare, DEUM videlicet amplius non offendi ac in timore amoreque illius proficiendi, protinus objicit illi ejusmodi propositionem. Quid faceres si certo scires te non esse prædestinatum ac DEI electum? vel quid ageres si in hanc vel illam occasionem peccandi incideres? vel si hanc aut illam haberes persecutionem? vel quid faceres si comprehendereris ob fidei confessionem, & conijcereris in carcerem teterrimum ac fædum, torturæque tibi acerbissimæ adhiberentur. His modis sceleratissimus hostis contrâ Servos DEI procedere solet ut conturbatos reddens, pristinum affectum devotionis eorum erga Religionem conceptum, refrigerare queat, studium virtutum eos negligere faciat, fervorem orationis

tionis in illis extinguat. Charitatem DEI in odium suô studiô convertat, proposita illorum æterna frangat, & quod impium est illis eligere persvadeat. Sed non turbetur bonus Religiosus nec animo concidat, sed potius cognita infirmitate sua se DEO auxiliatori commendet.

20mus. Vocatur *Accusator Fratrum.* Hic instigat fratres incipientes, ut se defendant, & excusent in suis defectibus aliorum accusatione, quod nimirum hos defectus contraxerint per indiscretionem Superiorum, per scandala fratrum &c.

§. VIII.

De modo resistendi Tentationibus.

SUppono imprimis resistere tentationi nil aliud esse quam cohibere voluntatis, consensum contrâ insurgentem concupiscentiam: Tentationi resistere; est servire quodammodo contrâ ipsam *prout docet Psaltes.* Iniquitatem odio habui & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Suppono *2do.* Sicut variæ sunt tentationes, sic varios esse modos ijsdem resistendi. Alij Generales omnibus communes, alij particulares particularibus tentationibus proprij.

Generales Modi sunt; *1mus.* Oratio ad DEUM Beatissimam Virginem sanctosque Patronos. Quicunque enim tribulatur ad eum communiter recurrit, à quo juvari se posse sperat, cum autem DEUS suâ ope Beatissima Virgo, Sanctique Patroni suâ prece, nos juvare possent, ad orationem illorum auxilij caussa in tentationibus est confugiendum.

2dus. Modus est humiliatio coram Divina Majestate ita namque Oratio citius & efficacius subsidium obtinebit.

3tius. Modus Fortitudo in resistentia maximè in tentationum initijs accedente timore DEI.

4tus. Firma in DEUM fiducia cum spe affuturi sibi auxilij & spe præmij cælestis.

5*tus*. Virorum Spiritualium ac præsertim Confessariorum, Superiorum, Directorum, Consilium.

Jam quod attinet Particulares modos incipientium Tentationes optime vincuntur recursû ad Confessarios & Superiores, quod cito semper sine mora & sincere faciendum, ut ex eorum instructione & informatione oportuna & efficatia remedia tempestivè obtineant.

Proficientium vincuntur. 1*mo*. Sedulâ votorum suorum expensione. 2*do*. Cosideratione obligationis sui statûs 3*tio*. Expensione finis sui instituti vel officij.

Perfectorum Tentationes vincuntur profundâ humilitate, perfectâ sui abnegatione, plenâ in DEI beneplacitum resignatione & alijs oppositis sive retolutis virtutum actibus.

Diaboli tentationes superantur. 1*mo*. Ad DEUM recurrendo. 2*do*. Nihili eas faciendo & contemnendo. 3*tio*: Fortiter resistendo. 4*to*. Passionem Dominicam recogitando.

Mundi Tentationes vincuntur. 1*mo*. Per considerationem finis ultimi. 2*do*. Per considerationem Novissimorum. Huc faciunt modi mortificando, inordinato amore supra assignati.

Creaturarum tentationes superantur ijsdem modis, quos supra Paragrapho 5. pro mortificando inordinato amore attulimus

Carnis tentationes cum suis sensibus domantur per assiduam mortificationem, per jejunium, disciplinas, cilicia, humicubationes, ferreas, catenulas, vigilias, frigus, & alias asperitates Item per meditationem quatuor Novissimorum.

Consvetudo prava cum suis illecebris comprimitur actibus oppositis & fugâ omnis occasionis,

Alijs gravissimis tentationibus ut blasphemiæ scrupulis desperationi & odio DEI quibus servi DEI gravissimè quandoque impetuntur resistitur. 1*mo*. Argumentis & suggestionibus diabolicis, non auscultando. 2*do*. Oppositos tentatationibus actus concipiendo & ardentissimè eliciendo. 3*tio*. Ita se cum Diabolo Carne &c. gerendo ac si stultus aliquis multas sibi inneptias

 & fatu-

& fatuitates abſurdas oggereret, ſcilicet nihili eas faciendo. 4to. Cum hominibus prudentibus & ſpiritualibus gnaris harum tentationum agendo. Tentationibus contrâ Fidem ijsdem modis reſiſtitur. Contrâ alias & alias tentationes petantur remedia ex dictis ſupra. Contrâ Paſſiones mortificandas, & hæc de primo gradu pro complemento.

Quæres 1mo. Quidnam ſit primum in primo gradu faciendum? ℞. Qui viam Purgativam ingrediuntur imprimis debent peccata ſua intimo dolore & lachrymarum gemitu deplorare cum conatu ſatisfaciendi DEO pro ipſis per opera pænalia videlicet per Abſtinentiam, cilicia, diſciplinas, vigilias, aliasque aſperitates carnem caſtigantes.

Quæres 2do. Caſtigatis præteritis peccatis per opera pænalia, quid poſtea faciendum ℞. inſiſtendum eſſe tum vitijs extirpandis, tum Paſſionibus mortificandis, alijsque aſceticis, exercitijs. Ita tamen ut & peccata præterita memoriæ non excidant, ſed magis ac magis dolore & lacrymis abluantur.

Quæres 3tio. Quantô tempore ſe exercere debeat homo Religioſus in his exercitijs viæ Purgativæ. ℞. Omiſſis quæ Clementiſſimus DEUS quandoque operatur cui facile eſt, ab uno extremo ad aliud ſine medio transferre hominem ut videre licèt in *S. Petro S. Paulo Apoſtolo Maria Magd.* alijsve, quos ſubito ad vitam unitivam evexit, & nunc ut exiſtimo, evehit.

Aliqui dicunt trimeſtri: aliqui ſex menſibus: aliqui uno Anno debere tractari exercitia viæ Purgativæ. Sed puto nihil certi hac in parte ſtatui poſſe, cum non omnes eodem fervore incipiant & continuent vitam Religioſam. Judicium prudentis Spiritualis Magiſtri ſemper hic requirendum. Putarem tamen & ſvaderem pro præteritis peccatis ſex Menſium ſpatio auſteriores pænitentias peragendas. Pro extirpatione verò præſentium & nobis inhærentium vitiorum nullum certum tempus præfigi poteſt cum non prius ab hoc prælio ceſſandum ſit quam hoſtis aut penitus ſuperetur aut notabiliter debilitetur quod certè non eſt ſex menſium neque unius anni ſtudium. Unde optimè illi faciunt

ciunt qui purgativæ & Illuminativæ viæ exercitia simul conjungunt, ita tamen ut illuminativæ non nisi post sex à principio vocationis elapsos menses præscribant.

Quæres 4to. Quid faciendum illi, qui expletis plus vel minus viginti Annis in Religione nunquam in exercitijs viæ Purgativæ se exercuit, repetendane illi exercitiâ, incipientium an intermissis exercitijs incipientium, soli viæ illuminativæ insistendum. ℞. Quod repetenda. Melius enim est licet tardè sed ordinatè incipere, quam nunquam inchoâsse. Unde consulerem tali, ut inprimis generalem totiùs vitæ Confessionem institueret, peractâ confessione austerioribus pænitentijs per tres aut quatuor Menses incumberet; demum Exercitia viæ illuminativæ cum DEI adjutorio ferventer aggrederetur.

CAPUT III.

DE SECUNDO GRADU PERFECTIONIS.

DIligens Agricola non tantùm senticeta & herbas inutiles ut fructum percipiat in temporè suo ex agro evellit sed conserit eundem semente bono; ita Religiosus Perfectionis cupidus non tantum peccata cavere, non tantum vitia & Passiones è cordis sui agro eradicare debet, sed ut optimo virtutum semine eundem conserat est necesse: in quarum virtutum acquirendarum & exercendarum, studio, cum secundus iste gradus consistat, agendum nobis erit Capitè isto ex professo de virtutibus, quod ut ordinatè faciamus totam tractationem in tres paragraphos dividemus. In primo quæremus quid sit virtus & quotuplex. In secundò, quæ præcipuè virtutes â Religiosis conquirendæ. In tertiò, quomodo conquirendæ?

§. I.

Quid sit virtus & Quotuplex.

VIrtus juxtà communem definitionem: Est habitus quô rectè vivitur, quô nullus malè utitur. *Seu ut dicit Philosophus 2. Ethic. 6.* Virtus est affectio permanens in homine, quæ habentem facit bonum.

Dividitur verò virtus in Theologicam, Intellectualem & Moralem. Theologica est, quæ directè & immediatè DEUM spectat. Intellectualis quæ in intellectu versatur. Moralis quæ in appetitu rationali, id est in voluntate circa perficiendos mores residet.

Theologicæ virtutes sunt tres. Fides, Spes, Charitas. Intellectuales sunt quinque, Ars, Scientiâ, Prudentiâ, Sapientiâ, Intellectus.

Morales sunt viginti; quarum priores Decem videlicet, Justitia, Religio, Pietas, Observantiâ, Veritas, Gratitudo, Justitia vindicativa, Liberalitas, Magnificentia, Amicitia, Serviunt ad bene conversandum & agendum cum alijs, V. G. Justitia servit ut reddamus unicuique quod suum est. Religio servit ut reddamus DEO cultum. Observantia, ut illis qui præsunt reddamus reverentiam & sic de alijs. Posteriores verò decem, nimirum Temperantia, Liberalitas, Philotimia, Magnificentia, Magnanimitas, veritas, Affabilitas, Eutrapelia, Fortitudò, Mansvetudo, serviunt ut propriæ Passiones & affectus bene regantur. V. G. Temperantia servit ut appetitus concupiscibilis circa objecta delectabilia ritè occupetur. Liberalitas sevit, ut affectus ad expensas faciendas rationabiliter fiat. Philotimia, id est, Amor honoris servit ut desiderium dignitatum ordinatè exerceatur & sic de reliquis.

Inter has virtutes quatuor sunt primariæ videlicet Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo. Hæ virtutes alio nomine

mine Cardinales, seu Generales, vocantur: tum quia ratio virtutis in singulis earum tanquam in cardinibus versatur, imbibuntur enim & permeant omnes alias virtutes, tum quia omnes alias, tanquam genus, species, sub se complectuntur.

Notandum autem est, omnes has virtutes Morales aliquando esse & dici acquisitas, aliquando infusas. Acquisitæ sunt & dicuntur tunc, quando per actus nostros humanos acquiruntur. Infusæ sunt, quando una cum gratia justificante aut recipiuntur aut producuntur. Virtutes acquisitæ modum habent præscriptum à natura. Infusæ à lege Divina & fide. Illustro rem exemplo: Temperantia à cibo V. G. quando fit propter sanitatem conservandam, dicitur virtus acquisita, quia ratio naturalis docet, nè cum sanitatis nocumento comedamus: Quando verò fit propter castigationem corporis, vel propter imitationem Christi, vel propter acquisitionem gratiæ & gloriæ, dicitur virtus infusa, quia lex Divina quam docet fides nostra præscribit, *testante S. Paulo* ut corpus per abstinentiam in servitutem redigamus, & Christum qui in Eremo jejunavit imitemur. Unde hæ virtutes tam infusæ, quam acquisitæ idem habent objectum materiale, sed formale valde diversum, quod nobis Religiosis hominibus benè notandum est, ut verum à falso dignoscamus & hoc diviniori & altiori modo virtutum moralium actus exerceamus.

Notandum *2do.* Quod licet infusæ virtutes nobiliores sint acquisitis, non tamen ità perceptibiliter difficultatem virtuosarum materiarum auferunt, & vetustos vitiorum habitus expellunt atque acquisitæ. Hinc fit cur Novitij, qui in sua initiatione (si se debitè ad sacrum habitum summendum præparaverint) ipso justificationis momento omnes virtutes morales infusas accipiunt, vitiorum habitus, quos in sæculo contraxerunt diu sentiant & Passiones indomitas habeant; quia nimirum infusæ virtutes tametsi vires ad certandum suppeditent, pravos & vetustos vitiorum habitus perceptibiliter non excludunt. Propterea servi DEI qui

 ad bra-

ad bravium Perfectionis volunt pervenire cum Infusis virtutibus in acquisitas strenuè incumbere debent.

§. II.

Quænam Præcipuè Virtutes â Religiosis conquirendæ.

SCiendum *1mo.* Virtutes earumque actus esse duplices videlicet Internos, & Externos Interni sunt, affectus boni seu virtuosi, qui animæ vel mentis nostræ operatione exercentur. Externi, qui opere exteriori peraguntur. Externi ex seipsis actus, nec vitam habent nec perfectionem, nec meritum, nisi ab Internis, tanquam â puro proprioque suo principio fluant. Potest enim Hypocrita, vir DEO invisus exterius operari quidquid veri Sancti faciunt V.G. jejunare, orare, sacro interesse &c. Sed absque merito, perfectione & vita, nisi actus istos exteriores, cum internis conjunxeris. Deindè interni virtutum actus quovis tempore, locô, officiôue à nobis exerceri possunt Externi non ita semper commodè.

Sciendum *2do.* Quod nihilominus internorum horum actuum exercitium non sufficiât, nisi etiam ubi commodè fieri potest earundem virtutum externi actus exerceantur; proindè magnopere curandum est, ut actus Externus virtutis cum interno conjungatur & hic cum illo.

Sciendum *3tio.* Quod vitia nunquam oppugnentur, quin contrariæ illis virtutes attingantur. Origo enim virtutis à vitiorum & Passionum refrænatione dependet. Unde ex Doctrina de vitijs extirpandis, Passionibusque mortificandis præcedenti capitè propositâ multas virtutes, Religiosus suo statui necessarias colligere potest adferam tamen & hic nonnullas cum suis causis formalibus, incitamentis, gradibus, actibus, tum internis, tum externis, ut eo faciliùs & frequentius quisque in sacro hoc studio sese exerceât.

1ma. Itaque virtus ſit Fides, baſis ædificij cæleſtis, quâ homo omnibus firmiter aſſentitur quæ DEUS per Eccleſiam proponit. Cauſa formalis propter quam fidei. *1ma.* Eſt infallibilis veritas DEI. *2da.* Inſcrutabilis ſapientia. *3tia.* Infinita potentia, cujus non eſt impoſſibile omne verbum. *4ta.* Infinita ejusdem bonitas, quæ multo plura parata eſt propter hominem præſtare quàm humana fragilitas poſſit cogitare aut optare. Cauſa impulſiva ſeu Incitamenta *1mum.* Quia ſine Fide impoſibile placere eſt DEO. *2dum.* Quia accedentem ad DEUM oportet credere *Hebr.* 2. *3tium.* Quia fides credentes quodammodo omnipotentes reddit. Actus interni *1mus.* Deteſtari omnes errores oppoſitos fidei. *2dus.* Firmiter aſſentiri omnibus ab Eccleſia propoſitis. *3tius.* Optare pro veritate fidei pati & ſanguinem fundere. Externi *1mus.* Fidem verbo aut facto ipſo in tentationibus vel inter Hæreticos ubi opus eſt profiteri. *2dus.* Pati irriſiones & perſecutiones, ob veram fidem.

Nota hic Quod quidquid boni cogitatur, dicitur, auditur, legitur, aut quocunque modò de quocunque articulo fidei agitur, ſit actus hujus ſacerrimæ virtutis præſertim ſi quis deliberatè actum illum quaſi profeſſionem fidei exerceat. Unde V.G. quoties Symbolum Apoſtolicum recitamus, quoties nos ſacro ſigno Crucis munimus, quoties DEUM intimè nobis & ubique præſentem agnoſcimus, quoties aliquod Sacramentum ſuſcipimus vel alijs miniſtramus, toties actum hujus virtutis exercere, & per conſequens meritum lucrari poſſumus.

2da. Spes quâ voluntas Divina auxiliô freta ad DEUM bonum immenſum ac arduum acquirendum aſſurgit. Cauſæ ſpei noſtræ ſunt variæ. *1ma.* Infinita Miſericordia, benignitas, liberalitas DEI. Quid enim non ſperandum filijs à tali Patre. *2da.* Infallibilitas promiſſionum ejusdem. *3tia.* Infinitas meritorum Chriſti, quibus omnia ſperanda ſuperabundantiſſimè promeruit. Incitamenta. *1mum.* Quia ſpes in DEUM non fallit nec confundit *2dum.* Quia lætitiam & tranquillitatem invictumquè in adverſis animum ſuppeditat.

Actus

Actus 1mus. Sperare quod per merita Christi æternam animæ & corporis beatitudinem veniam, gratiam, perseverantiam, & omnia auxilia ad hoc necessaria, per media ab ipso Christo constituta simus consecuturi. 2dus. Ob hanc spem quosvis labores subire. 3tius. Ob eandem spem caduca mundi bona contemnere, nulla adversa formidare. commentaneas omnes tribulationes hujus mundi ducere. Actus hujus virtutis utilissimi sunt, præcipuè cum aliquid non sinè gravi aliquo sensu patimur & cum persecutio instat, vel cum affligimur ut nobis animum faciamus.

3tia. Charitas virtus inter Theologicas præcipua quâ DEUM quaslibet creaturas propter DEUM ipsum diligimus, eique plenâ voluntate propter ejus bonitatem adhæremus. Porrò amare DEUM nihil aliud est, quàm verò & vivo affectu, nostram illi devovere voluntatem, atque adeo velle & procurare illi quæcunque bona possibilia ipsi convenientia, quæ, & sicut, per suam voluntatem ipse sibi vult & procurat. Causa diligendi DEUM 1ma Est & præcipua, summa bonitas & amabilitas ejus in se, per se, & propter se. 2da. Infinitus ejus amor erga nos 3tia. Infinita ejus beneficentia & liberalitas in tot beneficijs nobis exhibitis & exhibendis. Incitamenta 1mum. Quia immania peccatorum debita expeditè dissolvit juxtà illud Christi Domini remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. 2dum. Quia infinitam DEI erga nos dilectionem & liberalitatem modô quo possibile est homini præstantissimô, compensat. 3tia Quia ad optatum perseverantiæ donum & gloriæ bravium securè perducit. Actus 1mus. Divinam bonitatem propter se amare, ipsique, ut summo bono velle semper conjungi. 2dus. De omni bono DEI intrinseco (ut attributis) gaudere, gratulari, & ut ab omnibus laudetur, infinities, insatiabiliter, desiderare. 3tius. Velle DEO omne bonum, non tantum id quod nunc habet, sed & omne aliud externum quod non habet, illudque pro posse procurare, ut ejus gloria externa magis ac magis propagetur, & resplendeat, primum in nobis, postea in alijs. 4tus. Sanctissimam ejus voluntatem in omnibus præceptis, consilijs, legibus,

& Regu-

& Regulis cuique proprijs, Sanctisque inspirationibus promptè adimplere. 5tus. Omnia Divina judicia, decreta, opera, permissiones quoad nos omnes & omnia intellectu revereri, approbare, collaudare, voluntate acceptare, amplecti exosculari. 6tus. Dolere & torqueri quod toties & tam enormiter à multis offendatur. 7mus. Offerre corpus, animam, cogitationes, sermones, & omnes suas actiones DEO, seque ipsum in nulla re, sed solum bonum ipsius quærere atque adeo mutuam communicationem omnium rerum & operum cum ipso instituere seu *ut loquitur S. Paulus. 1. Cor. 10.* Omnia in gloriam ejus facere. Sunt & alij plurimi Actus hujus Divinissimæ virtutis, quos ego hic non enumero, illud solum dico, quia omnis actio nostra quâ bonum Divinum respicimus, vel quam præcisè ex eo quià DEO placet ipsumque honorat, facimus, est actus Charitatis.

Notandùm verò est, Charitatis actus aliquando vocari elicitos, aliquando imperatos. Eliciti dicuntur quatenus solam Charitatem respiciunt. Imperati quatenus alias virtutes svadent faciendas, præcisè ex eo, quia sunt cum bono Divino vel quià DEO placent. Eliciti sistunt in sola Charitate. Imperati extendunt se ad alias virtutes atque superinduunt. Illustro rem exemplo V. G. Actus Charitatis quó homo DEUM pluris quàm quidvis æstimat & amat, solùm ex eo quia id DEO placet & DEUS hòc à nobis vult, est actus Charitatis elicitus, qui terminatur & finitur in solo bono DEI. Quando verò ex eodem beneplacito & bono DEI quispiam jejunat aut obedit, vel orat, aut aliam virtutem exercet, ille Charitatis actus erit Imperatus, quià jejunium, orationem obedientiam & alias virtutes svadet faciendas ex eo, quia DEO placent,

Et hac ratione intelligendum est, illud Axioma Theologicum: Habitus Charitatis est, forma virtutum: non quod aliqua virtus, ad veràm rationem virtutis necesse habeat, ut actus

ejus eliciantur ex imperio Charitatis, sed quia quando charitas alijs virtutum actibus superinduit formam suam, illosque ad finem suum ordinat, virtutes illæ fiunt illustriores. Præclarum equidem est, & laudabile jejunare, vacare orationi, humilitati, silentio obedientiæ &c. Verùm si ista non imperentur, nec fiant ex Charitate, sed duntaxat ex proprio cujusque virtutis motivo non habent adhuc totam perfectionem & formam. Bónus obedientiæ gradus est, *inquit S. Bern.* si propter metum Gehennæ vel propter professionem factam obedierit quispiam melior tamen est, cum ex DEI amore obeditur, illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis Hæc Sanctus. Quócirca asvescant Tyrones omnes virtutum actus ex imperio Charitatis DEI incipere,& perficere,ut per talem directionem & intentionem actus earum fiant illustriores, & perfectiores, ac per consequens majoris gratiæ & gloriæ meritorij.

4ta. Virtus â Religioso conquirenda est: Unio Fraterna seu Dilectio proximi, virtus post Charitatem DEI in Claustris, degentibus maximôperè necessaria. Objectum hujus virtutis sunt omnes homines,tam amici quàm inimici. Causa formalis quod summè amet Sanctissima Trinitas omnes homines capaces gloriæ & gratiæ summèque velit à nobis eosdem amari. Causa exemplaris Amor proprius quô se quisque diligit. Causa Impulsiva. *1ma.* Quia unusquisque proximus habet imaginem in se DEI. *2da.* Quia est futurus meus consors in regno Cælesti. *3tia.* Quia omne id quod proximo fit Christus sibi factum reputat. *4ta.* Quia est nota Discipulorum & ovium Christi, & filiorum Dei. *5ta.* Quia maximè nobis tanquàm summarium omnis perfectionis in lege naturæ,in lege scripta,& in lege gratiæ,tum minis inculcatur,tum promissis commendatur. Actus ejus sunt interni. *1mus.* Velle proximis propter DEUM vera bona singulis convenientia. *2dus.* Nolle ijsdem vera mala. *3tius.* Velle supportare in charitate illorum onera. Externi *1mus.* Non inferre illis ulla mala nequè de ijsdem gaudere sed potiùs compati, & conari eripere, ut neminem obloqui, nemini detrahe-

re,

re, contradicere, neminem contemnere, arguere, irridere, contrà neminem susurrare, (quod tunc fit cum alicui quid alius dixerit quidque contrà illum egerit insufflamus) Item neminem temerè, judicare, sed salvâ conscientiâ, defectus excusare. *2dus*. Unum, quemque quó par est, honore prosequi, favere, juvare cosilió opere pecuniâ &c. *3tius*. Blandè pacatè in Charitate eorundem onera supportare.

5ta. Devotio genuina proles Religionis, quâ promptè & resolutâ voluntate peraguntur ea quæ ad Divinæ Majestatis cultum spectant. Unde apparet devotionem veram posse in voluntate sine sensibili affectu etiam cum obluctatione inferioris partis, quoad ea quæ cultus Divini sunt consistere, quod benè notent, ne errent illi, qui nullum se facere progressum putant si sensibilem devotionem non sentiant.

Causæ præcipuæ ad devotionem excitantes sunt tres. *1ma*. Infinita Divinæ Majestatis excellentia infinito cultû, obsequiô dignissima. *2da*. Ipsa conditio creaturæ rationalis, quæ ideò condita est ut se Creatori submittat ejusque cultui se totam impendat modô quô potest, excellentissimô. *3tia*. Exemplum SS. Angelorum, & Beatorum omnium, æternùm DEUM laudantium. Qui hæc saltem semel in die non revocat indignus est, *inquit Cajetanus*, nomine Religiosi. Actus Interni *1mus*. Talis est, sentire de DEO altè profundèque se illi submittere. *2dus*. Desiderare omnia cultûs divini exercitia devotè obire. Externi. *1mus*. Internum de DEO Divinisquè rebus sensum verbo & opere pro nata occassione prodere. *2dus*. Omnia Divini cultûs obsequia, uti sunt tremendum Sacrificium Missæ, Sacramentorum susceptio, & administratio, Horæ Canonicæ & aliæ præces tam vocales quam mentales, votorum emissio, Humanitatis Christi JESU, cultus, Beatissimæ Virginis & Sanctorum promptè & piè ac reverenter obire. *3tius*. Omnia quæ quôquô modô spectant ad laudandum DEUM & Sanctos ut sunt Ceremoniæ Ecclesiasticæ, Imagines, Rosaria, Reliquiæ Sanctorum &c. decenter & reverenter habere & observare.

6ta. Pœnitentia Quâ propter DEUM omnia peccata detestamur cum proposito non relabendi ac DEO pro illis secundum posse satisfaciendi. Virtutem hanc omnes qui è sæculi declivio in Religionem sunt vocati, impensius debent colere, ut peccata quæ in mundo commiserunt opportunitate novi statûs expient, memores semper salutaris illius consilij De propitiato peccato noli esse sine metu. Objectum hujus virtutis sunt peccata in se sive illa sint levia, sive gravia. Finis est, peccatorum abolitio & cum DEO reconciliatio Motivũ Bonitas seu amabilitas DEI super omnia appretiata. Actus Interni Odium horror detestatio cujuscunque peccati, Dolor Acerbissimus quod DEUM summum bonum offenderimus. Constans firmumque propossitum nunquàm peccandi. Actus externi Confessio, Contritio, jejunia, panis, & aquæ, cilicia, vigiliæ productiores, Oratio nudis genibus diuturnior, acriores disciplinæ caloris & frigoris tollerantia, & ejus generis alia permulta, quorum sacra scriptura & vitæ Sanctorum plurima exempla proferunt, Item ad sonum horologij actum Contritionis elicere, pectus percutere &c.

7ma. Obedientia est, Virtus Quâ Superiorum jussis DEI personam gerentium obtemperamus. Materia hujus virtutis sunt omnes actus quocunquè modo â Superioribus injuncti. Forma Quia ijdem actus præcepti & jussi à Superiore, tanquam DEI Vicario & Divinæ voluntatis interprete. Quod omnes qui verè obedientes esse volunt diligenter debent notare, non conquirendo alias rationes quàm, quia â Superiore præceptum. Incitamenta. *1mum.* Quod sit excellentissimum Divinæ Majestatis holocaustum, juxta illud Melior est Obedientia quàm victima. *2dum.* Quod sit brevis, svavis, & secura ad cælum via, juxta illud Christi qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum. Actus. *1mus.* Defectus omnes tam parvos quàm magnos qui obedientiæ adversantur vitare. Quales sunt Superiores interna, aut externa, reverentia non prosequi, quia V. G.

Doctrina moribus ac virtute carent; contrà eos eorumquè ordinationes intrà se vel coràm alijs murmurare, rationes inquirere, voluntatem discutere, moras quoadusque exprefsè præcipiatur ducere, mandata improbare, lentè ac segniter obedire &c. *2dus.* DEUM in quolibet Superiore intueri illique ut DEO parere. *3tius.* Exequi quod jussum est, velociter integrè hilariter, & indesinenter. *Vide explanationem Regulæ Cap: 18.*

8va. Castitas est, Virtus. Quâ carnis concupiscentia, & omnes illicitæ voluptates compescuntur. Incitamenta Angelicæ, hujus virtutis sunt. *1mum.* Quia mirificè in sui amorem rapit cælestem Sponsum. *2dum.* Quia reddit idoneum ad extrà ordinaria Divinæ largitatis charismata percipienda. *3tium.* Quia peculiarem meretur in cælo laureolam.

Actus *1mus.* Abhorrere penitus ab ijs omnibus, quæ quocunquè modo castitati etiam levissimè adversantur: qualia sunt pravis cogitationibus, vel puncto temporis immorari, liberius oculis vagari, libros noxios perlegere: imagines vel personas aspicere, impura audire, corpus proprium sinè necessitate attrectare tactum alterius etiam non inhonestum non vitare &c. *2dus* Præcavere omnia pericula & occasiones lædendæ castitatis, vel motuum indecentium. *3tius.* Nulli manum præbere multò minùs in vultu quempiam tangere. *4tus.* Ità modestè in Cella, acsi nos omnes viderent agere. *5tus.* Media ad conservandam castitatem necessaria sollicitè adhibere. *Vide explan. Reg. c. 10.*

9na. Paupertas Quâ res omnes temporales ultroneè propter Christum & Regnum cælorum dimittuntur. Actus ejus sunt. *1mus.* Vitare omnes defectus, qui repugnant paupertati: Cujusmodi sunt dare vel accipere aliquid absque expressa Superioris facultate, aut absque necessitate, quod superfluum est, retinere, aut ea quibus utimur neglectui habere, conterere, lacerare; aut etiam illis cum aliquo affectu tanquàm proprijs uti *2dus.* Est, Abdicare omne dominium, proprietatem, jus, & usum omnium rerum etiam minimarum. *3tius.* Nullâ re etiam communi nisi quantùm necesse est, & ad instar cæterorum

uti, vitata omni singularitate & excessu. *4tus.* Viliores res pro usu semper affectare, ut Cellam incommodiorem, duriorem lectum, vetustiores libros. *5tus.* Cùm quid necessarium deest æquô animô ferre nunquàm murmurare, non conqueri, non mutire, quin potiùs de eo lætari.

10ma. Humilitas. Virtus Religioso maximè necessaria sinè qua aliæ solidæ esse non possunt quâ coercetur animus ne ad altiora se feratur. Fundamenta humilitatis sunt quatuor. *1mum.* Quia nihil sumus nec quidquam à nobis ipsis quasi ex nobis agere possumus. *2dum.* Quia infinitis propè defectibus scatemus. *3tium.* Quod si quid boni habemus illud non solum à nobis non est, sed valde angustum & limitatum est. *4tum.* Quia si quid à DEO nobis concessum est, illud non propter nos, sed propter ipsius gloriam concessum est. Actus hujus virtutis, *S. Benedictus refert in Regula, duodecim, inter quos præcipui censentur. 1mus.* Reputare se positivè vilissimum & omni bonô indignum laude, honore, amicitiâ aliorum. *2dus.* Judicare se dignum quôcunquè malô possibili. *3tius.* Nunquàm se laudare, vel jactare, imò cum laudamur quod ij non simus, verecundari. *4tus.* Culpas proprias non erubescere publicè confiteri. *5tus.* Eligere sibi & frequentare viliora loca, ministeria, ut sentinam mundare, culinam purgare &c. *6tus.* Nihil unquàm facere ut videaris sed in omnibus pure soli DEO velle placere. *7mus.* Velle ab alijs quoquè vilipendi, nihili reputari, duriùs tractari, non magni æstimari, non laudari, nequè honorari, imò nec amari.

11ma. Abstinentia (cibi,) Sobrietas, potûs, usum ex rationis præscripto temperat. Bonus autem eorum usus situs est, in mediocritate valetudini, officio, laboribusquè corporis, proportionata. Præcipuè verò Divinus Amor, virtutem hanc perficit, quia ex una parte solicitum, facit hominem vitæ, valetudinis, viriumquè corporis, pro obsequio DEI, necessariarum: ex alia verò parte facit ejusdem vitæ valetudinis, viriumque contemptorem, ut solò DEI placendi studiô omne solatium atque oblectamen-

lectamentum â se abdicet. Porrò Incitamenta ad hanc virtutem sunt. *1mum.* Quod temperantia mirè placeat DEO, eam toties nobis commendanti. *2dum.* Quod animæ plurimùm, prosit ad Luxuriam, Iram, Diaboli infestationes domandas, mentemquè ad arcana DEI capienda idoneam reddendam. *3tium.* Quod corpori quoque plurimùm prosit ad sanitatem, vitamquè longiorem conservandam. Actus *1mus.* Nunquàm cibis etiam necessarijs, nisi locó, & horis, consvetis uti. *2dus.* Non applicare sensualitatem ad cibos. *3tius.* Nolle nec optare ab alijs diversa, vel meliùs condita. *4tus.* Cibos quibus concupiscentia magis oblectatur, non manducare. *5tus.* Certam quantitatem cibi, & potûs, sibi præfigere. *6tus.* Nunquàm de esculentis poculentisquè sermones miscere, multò minùs de eis conqueri. *7mus.* Ad extinguendum saporem inspergere cibis aliquid amari vel insipidi. *8vus.* Unam integram portionem vel è singulis aliquam partem Christi pauperibus relinquere.

12ma. Patientia, quæ animum adversùs tristitiam, ex mali cujusdam urgentis incommodi conceptam confortat, viresquè addit nè à virtutis studio, proprijque officij debito cessemus prout judicij recti Divinæquè voluntatis, ratio exigit operandum. Oritur autem Tristitia ista ac per consequens. Impatientia ex varijs causis, nunc internis, ut scrupulis, desolationibus, nunc externis, ut ab infelici negotiorum officiorumvè successu: nonnunquam ex alienis culpis, vel injurijs, nobis illatis, ex quarum interventu tristamur, & irascimur. Incitamentum patientiæ est, Quia omne id quod in hac vita patimur, aut pati possumus modicum, & momentaneum est. *1mo.* Respectu peccatorum nostrorum tot & tam gravium. *2do.* Respectu suppliciorum æternorum aut temporalium ijsdem debitorum. *3tio.* Respectu eorum quæ amore nostri dignatus est pati, Filius DEI. *4to.* Respectu solatiorum quibus remunerare solet, patientiam DEUS tam in hac vita, quam in futura. Actus *1mus.* Fuga omnium imperfectionum in quas in adversis, solemus incidere, cujusmodi sunt immoderata tristitia, perturbatio, ira, quærelæ,

detra-

detractiones, murmurationes, dicteria scomatica, in adversorum Authores, indignatio contrà eosdem. *2dus.* Plenissima in omnibus, resignatio nostræque voluntatis, cum Divina conformatio, sive inter infamias, ignominias, persecutiones, irrisiones, afflictiones, quæ nobis ex aliorum vexatione, proveniunt: sive in corporis infirmitatibus, languoribus, morbis acutissimis, atque adeò morte ipsa, quibus nos Dominus DEUS noster explorat & purgat. *3tius.* Tacere ad imitationem Christi, patientis qui tanquàm agnus, coram tondente se obmutuit. Huc serviunt remedia curandæ tristitiæ, & iræ, supra allata. Nota virtutem hanc uberem meritorum messem quotidiè nobis afferre posse: cum enim præcipuè duobus modis videlicet agendo, & patiendo, mereamur & ad agendum valde simus pigri, si in patiendo fuerimus prompti & perseverantes, magnum, ut dixi, cumulum meritorum coacervabimus.

13tia Modestia, Decor domus DEI quæ verba nostra & facta exteriora ità moderatur ac regit, ut nihil â nobis prodeat quod nostræ personæ, conditioni, ætati, aut dignitati, non conveniat. Supponit autem exterior modestia, animam omni virtutum genere cultam esse interiùs à qua tanquàm â suo fonte oritur. Unde videtur esse propria Perfectorum virtus, quanquàm & incipientibus, qui vitam Religiosam auspicantur maximopere est necessaria (unde & tantopere commendatur & inculcatur) ut quemadmodum præcipuarum virtutum praxi animum excolunt, sic paulatim quidquid insulsum in oculos incurrit emendent. Actus ejus consistunt in recta capitis, oculorum, frontis, oris, labiorum, manuum, linguæ, incessûs, vestium, denique omnium & singulorum corporis motuum moderatione, de quo lege Regulam, Const. Ord. 1 *part. c. 27.* & Paragraphum seu praxim ultimam hujus nostri Abecedarij.

14ta. Eutrapælia Quæ convenientem in recreationibus, modum præscribit, & observat. Actus ejus sunt. *1mus.* Recreare animum ut post aptior sim ad serviendum DEO. *2dus.* Recreationem temperare, modestiâ. *3tius.* In recreatione nulli

creare molestiam. *4tus.* Nihil incompositè agere. *5tus.* Nihil noxij, nihil vani, nihil sæcularis multo magis obscæni vel mendosi in medium afferre.

Notandà autem & observanda hic sunt tria. *1mum.* Virtutes illas inprimis frequentiùs & ardentiùs exercendas esse quæ sunt præ cæteris excellentiores universaliores, & magis necessariæ ità ut nulla dies prætereat in qua non aliquot earum actus edantur: quales sunt virtutes Theologicæ Fides, Spes, Charitas, inter Morales pro Religiosis Obedientia, Paupertas, Castitas, Humilitas, Patientia.

2dum. Quod oservandum occurrit est, exercendas esse, purè, intensè & constanter. Purè non intuitu mercedis tantum aut supplicij, sed ex merò Amore DEI quia DEO placent, & sicut vult ipse DEUS. Hæc consideratio superinduit Charitate virtutem exercendam, atquè adeò addit illi illustriorem & perfectiorem formam, quod est, summi meriti uti supra de Charitate vidimus. Intensè id est, omni posibili diligentia, attentione & vivacitatis fervore. Hæc conditio est sal, quô virtutes condiuntnr ità ut ad perfectionem actus virtuosi nihil desit. Constanter id est, usque ad mortem quavis oblata occasione tam in prosperis quàm in adversis sive circa facilia sive circa ardua objecta. Hæc conditio animum in quavis virtute fulcit ad permansionem, ut firmissimè non obstante diuturnitate temporis in bonô permaneat.

3tium. Quod observandum est, exercendas esse virtutes directè ob finem seu intentionem hujus vel illius virtutis consequendæ. Defectu hujus conditionis, potest quispiam viginti annis in Religione esse (dicit Joannnes à JESU,) & nullam unquam virtutem V. G. Religiosæ obedientiæ exercere si videlicet ex communi tantum consvetudine juxta placitum suum, absque prædicta intentione actus sibi injunctos perficiat. Sicut è contrà propter eandem intentionem, nullum actum etiam ex se indifferentem, ut comedere, dormire, bibere, sedere corpus recreare poterit facere sine virtute &

merito vitæ æternæ. Imò ratione ejusdem intentionis, unico simplici actu plurimas virtutum species poterit exercere, meritaque accummulare, ut cum quis in culina lavat, si id faciat ut placeat DEO exercebit actum amoris, si ut Christum immitetur erit actus Fdei, si ut mereatur vitam æternam erit actus spei, si ut mandatum Superioris exequatur erit obedientiæ virtus, si ut pro peccatis satisfaciat, erit virtus Pænitentiæ, si ut abjectum opus exerceat, erit virtus humilitatis & sic de cæteris: Quot honestos fines concipiet, tot virtutum & meritorum actus habebit. Asvescant ergo Tyrones purè propter DEUM & directè propter virtutem actus suos peragere in illisque diversas intentiones præfigere si eos volunt illustriores fieri, & septuplo aut decuplo meritis cumulare.

Quod si Quæras Undè quis cognoscere possit virtutem se aliquam jam habere. ℟. Varia esse indicia. *1mum.* Si desideria illicita contrà aliquam virtutem insurgentia sunt extincta vel mortificata. *2dum.* Facilitas, & svavitas in exercitio virtutis. *3tium.* Fervens desiderium proficiendi in virtute signum est, eam jam intus, considere. *4tum.* Diligens imitatio Domini nostri JESU. Qui igitur ex istis signis Vacuum se esse virtutibus cognoverit humiliet se, roget Dominum DEUM & conatum pro virili adhibeat.

§. III.

De modo & ratione acquirendarum virtutum.

SUppono ex supradictis, sicut victoriæ vitij, ita exercitij uniuscujusque virtutis tres esse gradus. *1mus.* Est quando defectus virtuti contrarij generosè reppelluntur. *2dus.* Quando proprij ipsius virtutis actus frequenter & ferventer exercentur. *3tius.* Quando non solum ferventer sed faciliter & delectabiliter etiam circa ardua virtutis, heroicè & resolutè exercentur.

Qui

Qui igitur aliquem alicujus virtutis gradum assequi cupit excitet in se imprimis magnum & ardens virtutis desiderium, quod ut faciliùs consequatur, instituat una vel altera vice diligentem Meditationem de Excellentia Pulchritudine & Necessitate illius virtutis, deinde illam instanter & humiliter efflagitet sibi dari â Domino DEO; Omnis enim virtus est â DEO ut Authore, adjutore, & conservatore. Et hic est, primus modus virtutem acquirendi.

2dus. Modus est, isque præcipuus. Exercitium seu actio virtutis. Frequententur proprij actus tum interni, tum externi, virtutis, quam acquirere volo donec habitus seu facilitas ad eandem juxta communem sensum obtineatur. V. G, Vult aliquis humilitatem acquirere exerceat sæpiùs actus humilitatis supra allatos reputet se indignum quovis bono, nunquam se jactet, eligat viliora loca, vestes, ministeria &c & sic sensim in possessionem humilitatis veniet.

3tius. Modus est, pugna per Mensem vel aliquod certum tempus cum vitio opposito virtuti quàm acquirere intendimus. V. G. Vult aliquis Patientiam adipisci, decertet adversus impatientiam & omnem tristitiam, perturbationem, iram, quærelas, murmurationes, scommata indignationem aliosque defectus in quos in adversis incidere solemus.

4tus. Modus est, assumere certam aliquam virtutem proponereque aliquot ipsius actus V. G. quinque in memoriam quinque vulnerum Christi quotidiè elicere, atque de executione hujus propositi in particulari bis in die, scilicet antè prandium & vesperi diligenter se examinare, pro trasgressioneque certam pænitentiam hìc & nunc absolvendam injungere. Praxim hujus examinis habes infra de examine particulari.

Notandùm autem circa hanc virtutum acquisitionem, servanda quatuor. *1mum.* Virtutes singulas singillatim esse acquirendas; quod non ità accipè ut cæterarum virtutum penitus curam deponere debeas, sed ut peculiariter & accuratius uni illi assumptæ ad exercitium intendas, cæteras verò incidentibus

 occassio-

occaſionibus exerceas. Quanquam illæ ſint nimium affines, & aureo quodam nexu concatenatæ, ita ut qui ſedulò uni intendit ſtatim alias eodem tractu poſt ſe rapiat.

Notaadùm 2*do.* Quod non ſufficiat acquirere aliquid uniuscujusque virtutis, ſed oportet in unaquaque illarum ad perfectum creſcere alias enim non erit virtus, ſed Exordium ſine Epilogo.

Notandùm 3*tio.* Quod illæ virtutes priùs ſint conquirendæ quæ ſunt propriæ ſtatui ad quem quis peculiariter â DEO eſt, vocatus. Ut.le vocatus ad ſtatum Religioſum imprimis contemptui terrenorum, mortificationi ſenſum, & judicij proprij, arcto ſilentio, Meditationi rerum divinarum intendere debet.

Notandùm 4*to.* Quod magna diſcretio, honeſtas & prudentia in conquirendis virtutibus ſit ſervanda; virtus enim cum conſiſtat in medio, cum ex ſe ſit pulcherrima, cum ſit ſemen, DEI, extréma odit, dedecorum fugit & rationabile obſequium amat.

Quæres. Quanto tempore immorandum in acquiſitione virtutum? ℟. Non prius manum amovendam ab hoc ſaluberrimo exercitio quàm vel virtus acquiratur vel inſignis profectus in ea obtineatur, quod non unius menſis, aut Anni, nequè unius gradus ſed totiùs vitæ & integræ Perfectionis ut patet ex dictis.

CAPUT IV.

DE TERTIO GRADV PERFECTIONIS.

GRadus tertius perfectionis nihil eſt aliud, quàm continuum ſtudium uniendi ſeſe per verum amorem cum DEO, illique perfectiſſimè adhærendi, innuit hanc unionem *S. Paulus 1. Corint. 2. cum ait:* Qui adhæret Domino unus Spiritus eſt, cum eo, quantoperè autem Dominus DEUS noſter hanc Sanctam

ſecum

fecum Unionem defideret, *explicavit S. Catharina Senensi in Dialogo dicens*: Alta mente confidera voluiffe me, ut mea divinitas, Majeftatis dignitate fepofitâ veftræ copularetur humanitati, ut tanto Charitatis exemplo, nos ad pariter uni mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem, *ita Dominus ad S. Virginem.* Et quanquàm unio hæc propria fit virorum Perfectorum tamen & Tyrones debent ad eam afpirare, cum & ipfi ad perfectionem tendere teneantur. Quare ad faciliorem ipfius intelligentiam Paragrapho 1. explicabo naturam & actus ejus. *2do.* Suggeram aliquot modos ad eam perveniendi.

§. I.

Quid fit Vnio, & qui actus ejus.

NOmine Unionis in præfenti non intelligitur oblatio, quâ preces & alias actiones noftras ut fint acceptabiliores cum precibus & actionibus Chrifti JESU Beatiffimæque Virginis uniendo, DEO offerimus. Nequè unio altioris ordinis in qua ex Divinæ gratiæ largitate languor, extafis liquefactio &, allij actus affectuofæ Charitatis non fine jucunditate fenfuum folent invalefcere. Sed Intelligitur Tertius isque præcipuus & perfectus Charitatis effectus, qui non eft aliud quam conjunctio trium facultatum videlicet Intellectus, voluntatis & omnium operationum noftrarum externarum cum ipfo & Divina ejus voluntate & gloria tanquam cum proprio præcipuarum quæ in nobis funt potentiarum objecto.

Actus hujus unionis uti ex defcriptione antecedenti colligi datur funt tres. *1mus.* Confiftit in unitione Intellectus noftri, ut is ab omnibus rebus creatis non folum naturæ fed & gratiæ, avellatur, & foli DEO bono increato applicetur, aut certè fi rebus creatis applicetur quatenus in fe aliquid Divinum habent, & ad DEI obfequium pertinent. *2dus.* Confiftit in unitione vo-

ne voluntatis nostræ, ut hæc similiter ab omni cujuscunque generis sit, tam corporali quàm Spirituali, creato bono retrahatur, & solo bono Divino ardeat, atque adeo in omnibus tam prosperis quàm adversis, Divinæ se ita conformet, ut nihil amet, nisi quid, quantum, & quomodo DEUS voluerit 3tius. Consistit in unitione operationum nostrarum ut hæ itidem purè,& solum propter bonum & gloriam DEI assumantur peragantur & finiantur.

Consistit ergo hæc unio (ut paucis multa complectar) in omnimoda, Intellectus voluntatis & operationum nostrarum cum DEO, conjunctione, ita ut quemadmodum Divinus ejus Intellectus in assidua propriæ naturæ, ac perfectionum suarum Divinarum cognitione & contemplatione versatur voluntas verò volendo sibi omne bonum, indefesso erga seipsum amore occupatur, omnes deniquè actiones ad extra immenso eodem amore sui operatur, ut gloriam suam in omnibus quibuscunque operibus etiam minimis manifestet, ita unio ista in qua est hominis propria Perfectio in eo consistit, ut intellectus noster eique subjectæ ac subordinatæ potentiæ videlicet memoria, cognitio, imaginatio, phantasia, DEO tanquàm proprio ipsarum objecto conjungantur, ut voluntas nostra voluntati ipsius per omnia cohærens tanquam supremo bono summo Amoris affectu illi adhæreat omniaquè opera nostra externa propter ipsum solùm ejusquè gloriam diligenter & resolute heroico modo peragantur, ita ut nec quicquam dicamus, agamus, patiamur aut exterius operemur propter propriùm solatiolum vel commodùm imo si quid delectationis & oblectamenti capi posset, ex propinquorum V. G. atque amicorum consvetudine ex esculentis & poculentis, ex visus, auditus, cæterorumque sensuum usu,ex honoribus deniquè aut alijs rebus quibuscunque illud vel prorsus in nobis extinctum sit, vel omnino a DEI amore dependeat, ut eorum nihil admittamus nisi quod & quantum Divinum ejus obsequium majorquè eius gloria exigit, secundum Sanctissimam eius voluntatem, cui non liceat reluctari. Et hoc

est, quod

eſt quod *S. Paulus 2. Cor. 3. dixit*, quia revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur accipientes intra noſtrum ſpiritum ipſius DEI virtutes quibus efficimur ſimiles glorioſæ ipſius Divinitati, tranſeuntes a claritate in claritatem, hoc eſt â claritate cognitionis quæ in intellectu reſidet ad claritatem affectus qui â voluntate procedit, & ab hac claritate ad claritatem virtutum, euntes de virtute in virtutem donec videatur clare DEUS Deorum in Sion.

Abſolutiſſimum huius unionis exemplar hebemus in Chriſto Domino Salvatore Noſtro, ipſe enim nunquàm à DEI cogitatione ceſſàbat, continuum Divini amoris affectum exercebat, indefeſſo Divinæ Patris Gloriæ ſtudiô ferebatur quam unam tum verbis omnibus tum externis operationibus continuo procurabat & ad unum quod illi gratum & acceptum eſſe noverat executioni mandabat. Simile exemplùm cernere eſt, *In Beatiſſimo Paulo Eremita, Patre noſtro*, qui per continuos nonaginta ſeptem annos per contemplationis ſtudium, ſoli DEO vacabat, amore cujus inſatiabiliter ardebat omniáque opera ſua puta ſilentium, jejunium, mortificationes, orationes, nuditatem, frigus, ſolitudinem & alias mortificationes pure propter ſolam gloriam, & beneplacitum DEI peragebat.

§. II.

De modis quibus perfecta Charitas acquiritur.

NOn eſt, quidem volentis neque currentis tantæ rei præcepta tradere, ſolus enim Spiritus S. Divino ſuo illapſu negotium hoc ut perficere, ita modos manifeſtare poteſt, proinde modi qui â Spiritualibus viris proponuntur non tam acquiſitioni quàm diſpoſitioni ad vnionem deſerviunt. Ex quibus.

imus.

1mus. Modus est. Habitâ gratiâ justificante adhibitisque continuis precibus, omnia duorum superiorum graduum exercitia practicare. Huc enim tanquàm ad scopum ordinatur peccatorum detestatio, huc facit vitiorum extirpatio, huc tendit Passionum mortificatio, huc refertur tentationibus resistentia, hvc collimat virtutum exercitatio, ut postquàm à rebus creatis atque à nobis ipsis quam longissime animo, sensu, & ipsa denique operatione recesserimus tum demum ad DEUM accedemus eique uniemur.

2dus. Modus est, Cognitio DEI & cognitio sui: Modum hunc *ipse Christus Dominus dixit: S. Catharinæ senensi*, antequàm se illi familiarius communicaret. Si nosti filia quis ego sum & quæ tu es, beata eris. Ego sum qui sum, tu es quæ non es. Hac cognitione freta facile omnem gratiam & veritatem obtinebis. Quare non oportet subtili ingenio pollere, vel literas callere, vel multam scientiam & libros habere, unicâ cognitione excellentiæ Divinæ cum humili cognitione sui, etiam simplicissimus Idiota ad veram cùm DEO unionem pervenire potest.

3tius. Modus est. Perfecta aversio affectus à Creaturis. Hunc modum suggerit: *B. Rigerius de Marena Socius S. Francisci, cujus verba sunt:* Unica, brevis, & secura, ad perfectionem via est, si homo se totaliter expropriet ab amore omnis creaturæ & etiam suiipsius nihil sibi omnino reservans. Et ratio est quia cum Unio, consistat in coniunctione Intellectus voluntatis & operationum nostrarum cum DEO, ut aliquis istis facultatibus perfectè conjungi DEO possit, requiritur ut liberæ sint ab omni inordinato creaturarum affectu: Quare necesse est, abstinere ab omni rerum mundanarum amore, à superfluis curis & solicitudinibus, à non necessaria familiaritate & conversatione & aliis secularibus negotiis, quæ suis imaginibus potentias nostras occupare, inquietare, aut depingere possent; Vel si iusta necessitas ad sæcularia & externa redire cogat, illis non nisi eatenus immisceamur & occupemur quatenus Divini obsequii ratio & gloria expostulat.

4tus.

4tus. Abnegatio propriæ Voluntatis, hoc eſt ut homo in nulla re, in nullo facto, in nullo dicto, in nullo cogitatu, ſeipſum, vel ſuum commodùm, ſed ſolam DEI voluntatem ſolum ejus beneplacitum quærat, ità ut nolit non ſolùm malum, ſed & bonum quod DEUS non vult, nolit non ſolùm peccare, ſed neque commedere, bibere, corpus recreare, imò & mortificare, jejunare, vigilare, ſilere, orare, Miſſam celebrare &c. Si DEI non eſſet placitum voluntati. Abnegatio hæc alio nomine vocatur paupertas ſpiritus, mors ſpiritualis expropriatio ſuiipſius. Modum hunc ad unionem perveniendi, *ipſe Chriſtus Dominus eandem S. Catharinam Senenſem edocuit*: Illud ſcias quia ad hanc perfectionem (videlicet amoris) nonniſi per ſtabilem, conſtantem ac abſolutam voluntatis propriæ abnegationem perveniri poteſt, ad perfectam autem tui abnegationem ſi pervenire vis, id unum tibi jugiter eſt affectandum ut mihi ſoli pareas meamquè ſolius voluntatem obſerves. Quo autem id præſtare queas, neceſſe eſt ut certa Fide, & alta mente conſideres me DEUM tuum eſſe Omnipotentem vobisque omnia quæ mihi placita ſunt facere, nec quicquàm ſinè eadem voluntate mea vobis accidere. Conſideres pariter me DEUM tuum eſſe ſummæ Sapientiæ ac perfectiſſimæ cognitionis, omnia acutiſſimè videntem, ut nullâ poſſim ratione falli, aut errare. Et ut tantillum percipias Sapientiæ meæ, ſcias me de Malo culpæ & pænæ longè majus bonum quàm ſit malum elicere. *3tio.* Velim conſideres me eundem DEUM tuum non minus ſummè bonum eſſe, quâ de cauſa non poſſum niſi quæ bona ſunt, utilia & ſalubria tibi & alijs velle. His per firmam fidem Meditatione collectis cognoſces adverſa omnia me gubernante & ſciente provenire. Cognoſces præterea ob nullam aliam cauſam provenire niſi utilitatis & ſalutis veſtræ gratiâ, quia ego DEUS tuus magis poſſum, ſcio & Volo bonum tuum, quàm tu Id igitur cùm ita ſit danda tibi ſummo ſtudio opera eſt, ut voluntatem tuam Divinæ voluntati meæ, qui ſum Omnipotens, Omniſcius, & ſummè Bonus prorſus cùm omni fiducia ſubbijcias quoniã ſic placida ſemper quieſces meque tecum. (per unionem) habebis.

Idipſum B. Gertrudi, ut refert Bloſius, dictum eſt à Domino: Qui vult ut ad ipſum liberè veniam, ejque uniar, debet mihi clavim propriæ voluntatis reſignare.

Quod ſi quæras Quæ ſint ſigna voluntatis hujus Divinæ ut nos ei reſignemur & conformemus? ℞. Varia. *1mum*. Signum eſt Præceptum quô aliquid præcipit vel prohibet. *2dum*. Conſilium quod & ſi non obliget eſt tamen ſignum voluntatis Divinæ quod ità nos velit facere ſicut conſulit. *3tium*. Vita & exemplum Chriſti, ideo enim DEI Filius, de cælo venit, ut verbo & exemplo Vuluntatem DEI nobis aperiret. *4tum*. Vocatio DEI ad aliquem ſtatum vel officium, eo enim quia DEUS aliquem ad ſtatum vocavit, ſignum eſt quia vult ab eo fieri quidquid ad illius ſtatus & officij perfectionem pertinet. *5tum*. Signum eſt, Obedientiæ vox, ſive viva, ut Superiorum, ſive mortua ut Regularum & Conſtitutionum. *6tum* Conſilium virorum bonorum & Patrum Spiritualium, qui poſt Superiores animarum noſtrarum ſunt Directores. *7mum*. Operationes DEI Supernaturales & Inſpirationes Divinæ, Illuſtrationes Intellectus, functiones Sacramentales, & alia opera ad externam Eccleſiæ gubernationem ſpectantia, ut exempla Sanctorum, prædicationes, miracula &c. Quibus nos DEUS cupit per ſe & ſuos miniſtros eorumque labores Sanctificare. *8vum*. Signum Operationes naturales ut Eſſe, agere, pati, ſive noſtrum proprium, ſive aliorum hominum, ſive quarumvis aliarum Creaturarum ex quibus nulla in rerum natura eſſet, ageret, pateretur, niſi DEI voluntas eſſet, ab eo enim cuncta pendent, & Dominus univerſorum ipſe eſt, qui pro ſuo arbitrio, & ad ſuum bonum, omnibus & ſingulis imperat eſſe. Quare valde utile eſt & magnæ conſolationis, præſertim cùm infirmitas paupertas, & alia adverſa incidunt, cùm talenta ad aliquas functiones deſunt, cùm res non eum, quem optaremus ſucceſſum habent, Conſiderare Dominum DEUM continuò hæc pro ſua voluntate operantem ſeque illi ad ſuum Sanctiſſimum beneplacitum pleniſſimè ſubijcere & reſignare.

Quod

Quod si quæras ? Quomodo in dubijs hæc voluntas DEI ubi nullum expressum & sufficiens, signum habetur, exploranda. ℟. Tres esse hujus rei Regulas. 1ma. Debet se homo (cæteris paribus) in id quod vilius est, inclinare & id in quo est plùs humiliationis, abjectionis, & abnegationis sui eligere, hoc enim tutiùs est, & magis conformè Christi exemplo. 2da. In dubijs semper inclinandum est, in favorem proximi, & amplectenda pars quæ est, proximo utilior honoratior, lenior, & quæ futura est, maiori ædificationi. 3tia. Quando neutrum horum adest, tunc duo facienda: Inprimis, res DEO in oratione diligenter commendanda; Deindè proponendum, se velle solam DEI gloriam quærere, & tunc eligendum quod sibi convenientius ad hanc gloriam videtur. Fieri enim non potest ut DEUS signo aliquo non aperiat voluntatem suam, vel saltem ad prosperum deducat exitum quod tam sincerè ad suam gloriam est susceptum.

Ex Dictis hactenus colligi potest, ad Perfectionem unicam tantùm esse viam, scilicet Charitatem DEI, sed trifariam dividi. Initio hujus cursus seu viæ, removet homo quod DEO contrariatur tanquàm suo amato. In medio conquirit ornatum quô DEO placeat. In fine seu termino celebrat desponsationem seu arctissimam cum DEO amicitiam, ità ut unus Spiritus cum DEO efficiatur. Intellectu & voluntate atquè operationibus se illi conjungendo; Ità ut sicut DEUS seipsum cognoscit & se semper amat, purissimoquè affectu omnia sua, & quæ aliundè illi accidere potest, gloriam, sibi vult & procurat: Sic homo qui DEO in naturâ & intelligendi volendiquè facultate est, similis, eidem in operationibus, etiam similis fiat eum cognoscat, & de eo cogitet, eundem amet, eiquè bona quæ habet, & extrinsecam etiam gloriam; totâ voluntate & æstimatione & affectu velit.

Observa. Ut si aliquando DEI gratiâ ad culmen hujus unionis perveneris, exercitia mortificationis Pænitentiæ Humilitatis & alia his similia non intermittas, quin imô quando te

obtepuisse senseris eò ferventius ea reassumas. Qui enim sacrum aliarum virtutum exercitium in gradu hoc prætermittunt, ità torpore quodam redduntur hebetes ut cum se putant ad intimam unionem pervenisse pleni amore propriô, quàm longissime à scopo distent.

CAPUT V.

DE MEDIIS SEV INSTRVMENTIS PERFECTIONIS.

SI quæ hactenus de perfectionis Natura & Gradibus dixi, bene intelligantur, non erit difficilè concipere quibus ad efficiendam opus sit Medijs seu Instrumentis. Cùm enim consistat in Charitate, amore benevolentiæ quâ ablatis vitijs & virtutibus acquisitis DEO bono nostro Intellectu, Voluntate, & Operationibus nostris conjungimur: Sequitur ad eam acquirendam ea instrumenta necessaria esse quæ ex nobis vitia eliminent, virtutes inserant, Intellectum, Voluntatem, & Operationes, omnes nostras cum DEO conjungant, Equidem insinuavi hæc Instrumenta dum ad finem cujusquè Capitis singularibus Paragraphis modos, quibus tum vitia extirpari, tum Passiones mortificari, tum virtutes acquiri, tum ad unionem perveniri possit proposui, sed quia illis ipsi modi, illustratione indigent Intellectûs, inflammatione voluntatis, & actionum recta ordinatione, ut debitè & fructuosè peragantur, ideò opus habent alijs quod sequentia instrumenta copiosissimè & sufficientissimè præstabunt, si quis ipsis usus fuerit atquè adcò, tùm ad acquisitionem tum ad augmentum tum ad conservationem ipsiusmet Perfectionis, plurimùm conducent.

§. I.

§. I.

De Instrumentis quæ Intellectum illumminant atque adeò juvant ad acquisitionem Perfectionis.

SEptem communiter hujusmodi Instrumenta numerantur. Custodia Regularum sui statûs, Exhortatio, Lectio, Meditatio, Colloquium vel manifestatio suæ conscientiæ Superiori, Examen conscientiæ & Exercitia Spiritualia.

1mum. Custodia Constitutionum & Regularum suæ Religionis: Cùm enim Religionum Institutores singulariter illuminati & DEO uniti fuerint eum vivendi modum & ad perfectionem perveniendi suis successoribus in Regulis reliquerunt quem ipsi â DEO ipso commodissimum hauserunt & in seipsis expresserunt. Quare qui Perfectus esse vult habeat eas continuo ante oculos suos & diligenter observet & assequetur quod intendit.

2dum. Exortatio Magistri Spiritualis: sicut enim DEUS ad consumationem Sanctorum voluit esse Pastores, & Doctores, qui concionibus alios instruerent: Ità in quavis Religiosa communitate hoc idem medium est, valde efficax ad acquirendam Perfectionem audire diligenter Exhortationes, & Admonitiones sui Magistri.

3tium. Lectio librorum Spiritualium: Qui enim diligenter revoluit libros Spirituales fieri non potest ut in illis non inveniat, & addiscat qualis debeat esse vitæ Religiosæ Perfectio & scopus. *Medium hoc innuit S. Pater August. Serm. 112. de tempore dicens:* Geminum confert donum lectio Sacrarum Scripturarum sive quia intellectum mentis erudit, sive quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad Amorem DEI, perducit.

4tum. Meditatio Magnum adjumentum est ad Justitiam (*inquit S. Hieron. ad Celanciam*) implere divnis eloquijs animum, &

quod opere exequi cupias cordè meditari. Eſt meditatio quemadmodum hepar Spirituale quod conficit ſanguinem Spiritualem eumquè per totum corpus & animam diſtributi ſic Meditatio ſingulis virtutum habitibus alimentum incrementivè occaſionem porrigit. Quarè porfecti eſſe non poſſunt niſi nomine (*dicit Cajet:*) qui ſaltem ſemel in die in recogitandis rebus Spiritualibus, ſe non occupant. Ex defectu hujus ſacri exercitij puto provenire omnia mala in Religiones Sacras: Cùm enim non recogitamus intellectu ut decet; quid DEO, quid hominibus, quid nobis ipſis debeamus, in quo deficiamus, ſenſim Ignorantia gliſcit, ex ignorantia voluntas ipſa langueſcit, ad bonum amandum vel malum fugiendum, Fundatorum Sanctiſſima inſtituta & Regulæ non eo quo par eſt, modo æſtimantur, ac tandem ſtudium ipſius Perfectionis contemnitur. Ex cujus contemptu in quæ devia, & quam gravia perveniatur præſtat ſilere.

5tum. Colloquium vel manifeſtatio ſuæ conſcientiæ Superiori non ut Judici, ſed ut Patri Spirituali ut ab eo coſilium auxilium, contrà Spirituales morbos, difficultates & ad Spiritualem profectum accipiatur. Medium hoc mire commedant viri Spirituales & noſtræ *Conſtit. Par: 3. c. 9. n. 3.* Per illud quippe rectiſſimè & facillimè ſubditi in viam Domini dirigi poſſunt. Unde quando ad talia colloquia veniunt exiſtimare debent ſe ad Superiorem venire ut ſimul cùm eo ad ſua vitia extirpanda virtutes acquirendas difficultatesque tollendas conſpirent.

6tum. Examen: Diſcute bis terue in die quid cogitatione verbo & opere commiſeris, quantum profeceris vel defeceris proba teipſum (*inquit S. Aug:*) tu ipſo & ſemper tibi diſpliceas quod es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es.

7mum. Exercitia Spiritualia Hoc medium ita efficax exiſtimavit *Paulus V. Pont: Max.* Ut illud plenariæ indulgentiæ conceſſione omnibus Religioſis commendarit.

§. II.

§. II.

De Instrumentis quæ voluntatem DEO conjungunt atque adeò quæ juvant ad augumentum perfectionis.

SEx hujusmodi Instrumenta recensentur. *1mum.* Est Exercitium præsentiæ DEI. Nihil reor *inquit B. Laurent. Justin. sic efficax*, ad virtutis arcem conscendendam, quemadmodum se cogitare asstare semper ante oculos Judicis cuncta cernenis. Tali profecto studio acquiritur tenetur possideturque cordis munditia

2dum. Oratio vocalis. Per Orarionem *iquit Joan. Chrys: assequimur*, ut temporales esse desinamus necesse est enim ut qui cùm DEO familaritatem habet, Superior evadat omnibus quæ corruptioni sunt obnoxia, sicut fieri non potest ut qui solis radijs fruitur non effugiat tenebras

3tium. Confessio Sacramentalis: sicut enim pavimentum quô sæpiùs verritur eò purius redditur, sic qui peccata sua crebro confitetur purior evadit & ad Perfectionem pervenit.

4tum. Rectus usus, Sanctissimæ Eucharistiæ, Comproba hoc quotidianâ experientiâ quia quô quis magis se subtrahit ab usu hujus Sanctissimi Epuli eo magis deficit & è contrà, quô frequentius accedit eò magis eò magis defficit Est Eucharistia, Panis Angelicus quô refociliatus Religiosus Asceta, velocissimè currit ad Montem Oreb, Sanctæ Perfectionis.

5tum. Cultus Sanctissimæ Virginis Eam in rem verba illa *Proverb: 8. afferuntur*, quæ Ecclesia huic Virgini, accommodat: Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes ostij mei: Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Exempla hujus sunt plurima & obvia, & ipsa experientia manifesta.

6tum. Renovatio Votorum per quàm homo & ad servitium divinum promptior redditur & memoriam obligationis refri-

refricat & tentationes ingruentes repellit, & in vocatione suâ magis roboratur. Medium hoc suis Fratribus *S. Antonius illis verbis consuluit, teste S. Athanasio*: Hoc sit cunctis in commune mandatum, propositum, vigorem quasi incipientem renovare & augere semper debere. Hoc medio omnes perfectiores Religiosi solent sese ad arctiorem Suarum Regularum custodiam excitare; & merito *Nam ut dicit S. Greg. Papa lib: 22. Moral.* Nescit mens per torporem veterascere quæ studet per desiderium semper inchoare. *Hinc per S. Paulum dicitur*: Renovamini spiritu mentis vestræ, *Et per Psalmistam & dixi nunc cæpi*: Quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus. Valde necesse est, ut sæpius ea renovemus.

Notandà ex Asorio contrà eos qui hanc votorum Renovationem impugnant & tanquam rem pessimam execrantur; quod ille qui vota renovat non inducat supra seipsum novam obligationem distinctam à prima, sed tantùm accepti beneficij memoriam refricat antiquamquè obligationem confirmat: Undè si votum (quod DEUS avertat) transgrederetur non obligatur in Confesione dicere quod ante sæpius illud renovasset, hæc enim circumstantia non mutat Speciem peccati.

§. III.

De Instrumentis quæ Actiones nostras rectè ordinant atque adeò Perfectionem conservant.

TRia tantummdo hujusmodi adferam. *1mum.* Est intentionis in omni opere rectificatio, *hoc est ut S. Paulus 1. Corint. dicit.* Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid piam facitis omnia in gloriam DEI facite.

2dum. Devotio cùm Mortificatione docent hoc exempla omnium Perfectorum virorum, qui & jugiter devotioni vacabant & in corpora sua horrendè sævierunt ut acquisitam Perfectio-

fectionem conservarent. Quemadmodum vita corporea duobus præcipuè cordis motibus quos Systolem & Diastolem hoc est. Inspirationem & Expirationem appellant, custoditur, sic animi vita perfectio, duplici maximè motû continetur, unus est quem os suum aperiendo attrahit, quem motum *S. Bern. vocat Devotionem.* Alius est, quô mundi fumos spiceosque halitus exspirat, & à se procul tanquàm noxios repellit qui motus in mortificatione consistit; de qua cùm superius *Cap. 2. Parag. 3. & 5.* satis dixerim nihil dicendum restat.

3tium. Instrumentum est: Recta conversatio, & rectus modus cùm Fratribus, Superioribus & sæcularibus agendi, omnesquè actiones rectè obeundi. Praxis hujus instrumenti habetur multis in locis Constitutionum, præcipuè verò *1. Part. Cap. 27.* & nos luculenter & methodice ad finem hujus Abecedarij.

CAPUT VI,

DE IMPEDIMENTIS PERFECTIONIS.

PRopositis Medijs & Instrumentis opere prætium existimo adjungere impedimenta Perfectionis tanquàm obstacula, ut illis cognitis & superatis facilior detur ad desideratum finem progressus,

1mum. Itaquè & ferè maximum in DEI servis spiritualis profectûs impedimentum, sunt Peccata non solùm mortalia sed etiam venialia deliberatè committi solita, *Ita sentit S. Thom qui per expressum dicit:* Debet homo habere propositum ad peccata venialia minuenda, alioquin est ei periculum deficiendi, cùm deserat appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus quæ sunt peccata venialia.

2dum. Impedimentum est, Amor proprius, Judicum proprium, voluntas propria, Evagationes cogitationum & alia vitia externa quæ supra C. 2. §. 2. integro fusè enumeravimus.

 3tium

3tium. Tepiditas Quâ quis quasi jam defatigatus rerum Spiritualium satietate, ultrà progredi non laborat, sed quasi è via languens subsistit. Signa hujus teporis sunt. *1mum.* Orare sinè attentione. *2dum.* meditari sinè omni sensu affectu & fructu. *3tium.* Ægrè se recolligere. *4tum.* Examinarè se cursim sinè proposito emendationis. *5tum.* Liberè de alijs loqui obloqui, carpere. *6tum.* Otium quærere. *7mum.* Lentè & invitè obedire. *8vum.* Suspirare ad sæculi solatiola. *9num.* Nimiùm corpori indulgere. *10mum.* Divinas inspirationes negligere.

4tum. Impedimentum est, est Fastidium exercitiorum sui statûs. Quod ut intelligas.

Observa quod sub prætextu majoris Perfectionis soleat quandoque Dæmon Religiosis præcipuè Novitijs media â sua Religione præscripta tanquàm imperfecta, facere odiosa, & alienæ Religionis tanquam commodiora & perfectiora, nimiùm speciosa ostendere & obtrudere. V. G. Monacho reddit Chorum Psalmodiam silentium & alia Exercitia Ascetica odiosa, tanquàm media vana & ad perfectionem minùs servientia. Contrà, Occupationes Curatorum ut Confessiones, Conciones, & alia Ministeria animarum tanquàm perfectiora & majoris meriti nimiùm extollit & commendat, amabiliaque facit. Hinc multi incauti propria suæ Religionis exercitia tanquàm vana & minùs perfectioni servientia, vel flocci pendunt vel nullam spem meriti tanquàm in vilibus habent vel exequuntur, fastidiunt aut penitùs omittunt. Hanc adversarij deceptionem debent omnes Religiosi tanquàm magnum profectûs impedimentum nosse & cavere, à qua ut se explicent & extricent, sciant suam Regulam & Occupationes Religionis suæ tutissimam viam esse assequendæ Perfectionis, ità ut alias vias & occupationes requirere necesse non sit, præter solas eas, quæ in suis legibus ac Statutis sunt præscriptæ, quin & sibi persvadeant alterius Religionis studia & media licet per se Sancta & Professoribus eorum utilia sibi utilia, non esse, sed magis adeptioni Perfectionis officere.

Præter

Præter quatuor allata impedimenta impediunt Perfectionem ; Otium , Superbia , singularitas , multiloquium , superflui discursus , procrastinatio , frequens propinquorum visitatio nimia familiaritas, pusillanimitas & alia multa quæ studiosus Asceta facile advertet , & diligenter vitabit.

CAPUT VII.

DE PRAXI PERFECTIONIS

QUæ à nobis de Instrumentis seu Medijs Perfectionis dicta sunt parùm vel nihil utilitatis habebunt sinè Praxi. Nomine autem Praxis non intellige prima lineamenta seu Idæam perfectionis, quàm sibi quisque Religiosus ad initium suæ conversionis proponere,& efformare debet,ut secundum illam vitæ suæ rationes componat. V. G. Religiosus Paulinus nè temerè , & in incertum feratur debet ad initium sui Noviciatus effingere sibi talem formam Perfectionis : Scopus vitæ meæ est , ut expugnatis non tantum gravioribus peccatis sed etiam levioribus compressisque Passionibus, & sublatis omnibus impedimentis , virtutibus sedulo incumbam , & DEO intellectû voluntate ac operationibus meis omnibus orando , meditando , silendo, psallendo , sive etiam alios docendo , Confesiones audiendo , concionando &c. Strictissimè ardentissimo amoris actû adhæream. Non hoc inquam nomine Praxis intelligo. Neque intelligo supremum nobis Perfectionis Exemplar DEUM quod ut sensibus corporeis comprehendi posset in carnis rudi tela per Christi vitam est expressum. Neque intelligo Regulam & Constitutiones Ordinis quæ dignissimè & clarissimè nobis demonstrant Perfectionem ad quam aspirare debemus.

Sed nomine Praxis intelligo Effectionem quorumdam mediorum quæ ut usu frequentiora , sic omnibus Perfectionis studiosis magis sunt necessaria. Proinde opere pretium existimavi,

modos eorum quibus fieri debeant in singulari proponere non eô ordine quô supra tradita sunt sed statui Monastico opportuniori.

§. I.

Praxis Rectificandæ Intentionis In quovis Opere.

QUod aliqui Religiosorum post graves & diuturnos labores exiguum Spiritualis lucri proventum reportent, non alia est causa nisi quod solitas actiones ex se DEO gratas & meritorias sinè recta Intentione decurrant. Proinde valde necessarium est, singulas functiones cum recta Intentione auspicari, peragere & finire.

Ut autem Intentio in omni actione nostra sit laudabilis & qualem esse oportet. Tria hæc debet habere. *1mo.* Ut procedat ex Amore DEI. *2do.* Ut sit propter bonum DEI seu DEUM ipsum: hoc est, ut in omni eo quod facimus intendamus. Vel ut DEO placeamus, vel ut ejus gloriam amplificemus, vel demum ut voluntatem nostram, Divinæ ejusdem voluntati conformemus. *3tio.* Ut quàm perfectissimè in hoc bonum DEI tendamus. Quanam autem ratione in hoc bonum perfectissimè tendendum sit, sequens edocet praxis.

ANTE OPUS PRÆMITTENDA.

TRia requiruntur ad opus quodvis ritè auspicandum. *1mo.* Ferventis desiderij excitatio. *2do.* Pura Intentionis renovatio. *3tio.* Divinæ gratiæ imploratio. Hæc tria sic brevissimè expediri possunt: Utinam ô DEUS vel semel tandem hoc opus N. perfectè peragere sciam, velim & possim idque purô amore tui, purô zelô gloriæ tuæ purâ & plenâ Sanctissimæ voluntatis

tis tuæ conformatione. En ante te desiderium meum da quod jubes & jube quod vis.

IN OPERE PRÆSTANDA.

AD opus sic inchoatum rectè prosequendum, tria itidem sunt necessaria. 1mum. Debita intellectûs circumspectio hoc est ut subinde recogitetur, vel Præsentia DEI nos intuentis, excitantis, adjuvantis, pro rectè peractô opere præmia offerentis, pro malè minas intentantis. Vel præsentia Angelorum nos astantium, vel quô affectû & perfectione *Christus Dominus Beatissima Virgo, aut Sancti DEI similia opera peregerint.*

2dum. Voluntatis devotio hoc est, ut subinde, vel pij voluntatis affectus, & suspiria eliciantur. Vel interni virtutum actus operi externo congruentes interserantur. Vel ipsa intentio ad initium operi præfixa renovetur.

3tium Omnium virium tàm corporis quàm animæ seria applicatio, hoc est, ut cæteræ omnes curæ & inutiles cogitationes excludantur; & id tantùm incunctanter agatur, quod agi debet.

POST OPUS PRÆSTANDA.

SEV OBSERVANDA.

OPere sic peracto tria itidem sunt opus facienda. *1mum.* Instituatur examen perfectè nè opus sit peractum ut propositum erat nec nè.

2dum. Si malè successit, Confusio nostri, & Contritio cum deprecatione culpæ excitetur, si benè gratiarum actio, cum intimo humilitatis sensu agatur.

3tium. Conatus noster DEO offeratur & uniatur cum Sanctissimis meritis Christi Domini B. Matris ejus & omnium Sancto-

rum hâc vel ſimili forma. Suſcipe o Pie JESU hoc imperfectum obſequium meum in unione Sanctiſſimorum meritorum tuorum Beatiſſimæ Virginis & Omnium Sanctorum tuorum ad Intentionem N. ſupple ſatisfac pro me pleniſſimè

Notandum autem eſt. 1mo. Praxim hanc rectificandæ Intentionis, eſſe, quaſi Idæam aliarum particularium actionum cum perfectione peragendarum: Proindè ſenſim ipſi eſt, aſſveſcendum, & actiones ſolitæ quarum praxes in ſingulari non dabuntur, ſecundùm illam regulandæ & rectificandæ.

Notandum. 2do. Præconſiderationes tam antè opus quàm in ipſo opere adhibendas, non nimis accuratè eſſe exercendas, neque ſimul omnes, neque anxiè propter læſionem Capitis, ſed ſenſim & ſvaviter per modum piæ cogitationis nunc, has, nunc illas brevi-ſſimô tempore donec animus illis aſveſcat, frequentandas.

§. II.

Praxis Pie Surgendi.

1mo. AUditô ſignô ſurgendi conare protinùs totus evigilare ingeminans ter Sanctiſſimum nomen JESUS. 2do. Conare itidem totum intellectum, affectum & omnes primas cogitationes tuas in DEUM integrè convertere. Vel aſpiciendo Chriſtum Dominum, ceu Patrem familias te ad ſervitium ſuum excitantem, auxilium offerentem, mercedem æternam promittentem. Vel quàm promptus *Idem DEI Filius fuerit ad obedientiam ſuo Patri eundo in mundum ad Incarnationem.* Vel cogitando te ab Angelo Cuſtode vocari & moneri, ut hanc ſaltem diem tanquàm primam & ultimam, cum tot annos malè impenderis, Divinô obſequiô perfectè conſecres. Vel cogitando fervorem trium Magorum ad Chriſti incunabula feſtinantium. Vel ardorem tot Religioſorum totô orbe ad laudem DEI concinendam. Vel alia excitatoria ad acuendum zelum glorificandi DEUM pro devotione ruminando.

3*tio*. Conversis ad DEUM primitijs cogitationum zeloquè gloriæ DEI sic excitató forma crucem, & vestes indue.

4*to*. Inter induendum erumpe ex totis præcordiorum medullis in hos vel similes ad DEUM affectus.

O DEUS meus & Omnia sis ab omnibus infinities in æternum benedictus & ultrà, quàm bonus fuisti hucusque erga me! agnosco, gratias ago. Quàm ingratus ego erga te! detestor, doleo, ignosce & supple. Ex hoc momento omnia faciam, & patiar hodie & semper sicut tu scis, & vis, ad maximam tuam Gloriam, amorem & beneplacitum. Propter te conabor hodie cavere omnia peccata maximè defectum N, proficere in virtutibus maximè in N. omnia ordinaria opera perfectè peragere maximè N. Sed quia nihil possum ex me omnia in te, da quod jubes, & jube quod vis; *DEUS in Adjutorium meum intende &c. Gloria Patri. Ave Maria.* Gratias & tibi ago ô Pijssima Mater, & tibi S. Angele custos cum reliquis Sanctis Patronis meis electisquè omnibus pro universis beneficijs mihi exhibitis Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in idipsum.

5*to*. Pijs his vel similibus affectibus ruminandis svaviter intentus perge ad Chorum ad salutandum venerabile Sacramentum *Dicendo vel Te DEUM Laud: vel Psal:* 102. & 50.

6*to*. Sub ingressu templi Saluta B. Virginem Dicendo: Ave MARIA per te accessum habeamus ad filium ô Beata inventrix gratiæ, Genitrix vitæ.

7*mo*. Ingressus templum flectendo saluta Christum amore tui in Sanctissima Eucharistia in Ciborio quasi incarceratum, actus Adorationis Gratitudinis Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & alios exerce, proposita & vota renova. Intentiones, & actiones omnes instantis diei forma & DEO offer, gratiam & benedictionem profundè inclinatus exposce hac vel simili formâ

O Amabilissime Domine JESU qui hic sub mirabili Sacramento contineris sis in æternum benedictus & ultra qui me ingratum hucusque tolerasti. Agnosco bonitatem tuam & gratias ago, laudo, glorifico, æternumquè ingeminare desidero Sanctus,

ctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth in te credo, ô ineffabilis veritas; in te spero, ô æterna beatitas. Te amo ampliusquè amare desidero, ô summa bonitas. Gaudeo de omni honore tibi unquàm exhibito. Compatior de injurijs, & diminutione gloriæ tuæ. O si resarcire liceret! Placeat quod proposui. Renovo quod vovi,utinam & ipse te nunquam offendissem. Doleo, doleo de omnibus firmiterquè statuo ampliùs non peccare & præcipuè peccato N. Insuper statuo omnia in gloriam & complementū tui beneplaciti facere maximè opus N. Sed quia non possum sinè te, illumina tenebras meas, adjuva imbecillitatem, largire gratiam, & tuam Sanctam benedictionem Amen.

Hæc oratio potest usurpari non solùm mane ante matutinum sed sæpiùs per diem quotiescunquè (quod est valde pium & utile) visitatur venerabile Sacramentum.

Huc spectant aliæ orationes de Mane dicendæ ad Sanctissimam Trinitatem ad B. Virginem ad Sanctum Angelum Custodem & alios Sanctos Patronos præcipuè verò devotio & attentio habeatur in precibus quæ in prima Divini officij recitantur.

§. III.

Praxis Divinæ Præsentiæ.

SCiendùm inprimis per præsentiam Divinam non intelligi á viris Spiritualibus ipsam DEI in omni loco existentiam. Nequè continuam & incessabilem ejus super nos attentionem. Nequè intimam quâ ipsi sicut & omnes aliæ creaturæ præsentes adsumus coexistentiam & adhæsionem. Sed intelligi exercitium seu actum quendam internum mentis nostræ, quó DEUM præsentem concipimus.

Sciendum *2do.* Mentem nostram DEUM præsentem dupliciter concipere posse. Uno modo per imaginationem, efformando ejus figuram ad similitudinem alicujus humanæ speciei: V. G. Regis in throno sedentis, vel Christi in Cruce pendentis, vel Resurgentis vel Ascendentis vel in aliqua alia ætate & opere existentis. Altero modo per Intellectum non formando ullas figuras & imagines sed ipsâ animi cogitatione eum in omni loco in omni creatura secundum attributa sua existentem seu potius inexistentem attendendo. Prima Præsentia vocatur Imaginaria secunda vocatur Intellectualis seu Objectiva.

Sciendum *3tio.* Mentem & voluntatem nostram circa DEUM Sic præsentem conceptum dupliciter applicari & affici posse. Primo modo nudè & simpliciter nihil ei præter aspectum tribuendo eo modo quo quis nudè tantum amicum intuetur. *2do.* Modo non nudè. Sed afficiendo eum diversis affectibus, laudis, amoris fidei oblationis &c. eo modo quo quis non solum amicum aspicit sed etiam officiosè salutat jucundè alloquitur, recreat, laudat, donat, promittit vel offert. *1mus.* Modus licet interdum sit, utilis ad reprimendas peccatorum tentationes, & quietem post continuas aspirationes percipiendam; Vulgo tamen est otiosus, nec animum inflammat. *2dus.* Modus valde est proficuus & utilis DEOquè acceptabilis, quo quicunquè usus fuerit facillimè in perfectione Monastica proficiet.

Porro ad retinendam hanc Præsentiam DEI & continuandam affectusquè varios frequentandos plurimum conducit constituere sibi & habere cerra aliqua memorialia signa, quæ eam oblitis in memoriam sæpius revocent; qualia sunt. Inprimis pulsus horologij aspectus cæli luminis lunæ solis, sacræ alicujus imaginis sive Salvatoris JESV sive Dominæ Nostræ sive cujuspiam Sancti, auditus tonitrui, campanæ, Sacri Nominis JESV vel sermonis cujuspiam, de DEO, vel confessionis Sanctissimæ Trinitatis quæ in fine cujusquè Psalmi additur.

2do. Habere in domibus in Cella, in Refectorio, in Dortorio vel etiam foris in plateis, in campis, in hortis, certa

loca, certos Angulos, certa ornamenta, certas arbores, certos flores, colores certos, quibus conſpectis, memoriam præſentiæ DEI tibi refricès, aliosquè affectus pios elicias.

3tio. Imaginari eum in cordè ſuo veluti in templo, aut ſacrario, aut cella, aut throno Regio, reſidentem. Hunc modum uſurparunt ſacræ illæ duæ Virgines *Catharina de Senis & Tereſſia de JESU*, tantùmque inde profecerunt, quantùm illarum nota omnibus Sanctitas conteſtatur.

4to. Imaginari eum in Cœlo, in Majeſtate, ſedentem & actiones omnes noſtras conſiderantem.

5to. Statuere ſibi præſentem ad initium cujuslibet operis, vel ad finem ejusdem.

6to. Nonnulli quoties creaturas, & præcipuè illas quibus ſe Divina Sapientia comparare dignata eſt, ut ſunt Leo, Agnus, Lapis, angularis, Paſtor, via, Agricola, & cætera hujusmodi aſpiciunt præſentiæ Divinæ recordantur. *Sic S. Franciſcus*, quoties Agnum aſpexit Chriſti recordabatur.

7mo. Aliqui cùm ſcalas vident aut malleorum ictus audiunt, aut pluviam aſpiciut, ſangvineæ pluviæ, & inſtrumentorum, paſſionis memoriam grato animo recolunt.

8vo. Aliqui quando homines aſpiciunt cum illiſquè converſantur quaſi Domini noſtri JESU Chriſti fratres: aut quaſi filios ſanguine ejus prætioſiſſimo redemptos, & in æternum ſecum regnaturos, aſpiciunt. Quando verò mendicos aut Superiores qui præſunt intuentur tanqàm Dominum ipſum intuentur. Ex quo pax, ex quo amor, reverentia & alij affectus proficiſcuntur.

9no. Aliqui certas notas aut verba in parietibus ſcribunt, nonnulli funiculos manui, digito cingulo alligant. Nonnulli certos globulos geſtant, alij alijs utuntur ſignis ut quandocunque ea aſpexerint vel attigerint memoriam DEI renovent.

10mo. Aliqui quoties re quapiam creata (puta cibo, vel potu, vel veſtimento alijsve hujusmodi uti debent,) toties DEI præſentis ſibi benefacientis recordantur. Hinc has voces ab illis

creatu-

creaturis ad ſe directas audiunt & ruminant. Accipe, redde, cave. Hoc eſt, accipe me ad tuum uſum Redde pro me DEO grates. Cura ne me abutáris. Et merito ipſe enim cibo nos alit, & ſuſtentat ipſe veſtimentis tegit ipſe in aqua abluit.

Alij denique nullam prorſus creaturam non modo rationalem, ſed & irrationalem, ſenſibilem & inſenſibilem prætereunt; in qua præſentem DEI potentiam vel ſcientiam, vel juſtitiam, vel bonitatem vel aliquod aliud attributum, non intueantur; & in varios affectus, laudis, gratiarum actionis, amoris &c. non prorumpant.

Hæc ideo fuſius recenſui, ut bonus Religioſus aliqua pro uſu ſuo ſeligat, vel ſi iſta non placent alia ſibi convenientiora adinveniat, nec unquàm præſentia hac careat. Sine illa enim nulla ei cum Deo in oratione & meditatione converſatio ſatis intima & familiaris, nulla ſatis efficax circa proximum functio nulla ſatis modeſta corporis animiquè compoſitio, nullus pro DEO labor nulla mortificatio ſvavis & diuturna erit. Verbo dicam ſinè hac erit inſtar piſcis ſinè aqua, corpus, ſinè anima: E contra cum hac non modo Religioſe vivet, ſed & in terra vitam ducet Angelicam, imo ad ipſius immortalis DEI beatiſſimam vitam proximè accedet.

Obſerua. 1mo. Circa hæc memorialia. Præſentiam illam Imaginariam circumſpectè eſſe frequentandam non longe à te fingendam & abſquè ſollicita figuratione partium corporalium capitis, brachij veſtis &c. quia ſi laborioſè & longè à te DEUM imaginatus fueris, intellectus tuus nimium fatigabitur. imaginatio lædetur; caput offendetur animuſquè inhabilis ad Divinos influxus recipiendos efficietur.

Obſerva 2do. Non valde laborandum eſſe ut hoc vel illo modo DEUM præſentem imaginemur & habeamus, ſufficit enim in genere id fieri, quia hic fructus refertur ex affectu pio & aſpirationibus quàm ex ſubtili imaginatione vel conſideratione.

Obſerva ultimo ad hoc donum non perveniri induſtrijs proprijs ſed ſingulari DEI gratiâ unde oportet frequenter & ferven-

ter cùm magna humilitate & charitate illud eflagitare. Plurimum juvabit pro acquirendo hoc dono legiſſe benequè concepiſſe Meditationem de præſentia Divina.

§. IV.

Praxis Orationis Vocalis.

NOminè Orationis vocalis comprehendo officium Divinum Horarum Canonicarum, Officium Beatiſſimæ Virginis, Litanias & alias quaſuis preces etiam privatas, quas ut cùm integro guſtu atque fructu recites hæc in praxi obſervabis.

Ante Orationem.

Inprimis fac Intentionem te velle DEUM affectu omnium creaturarum etiam poſſibilium cùm ardenti deſiderio glorificare. *2do.* Te velle tum pro omnibus donis Sanctiſſimæ Humanitati Chriſti, Beatiſſimæ Virgini, alijsquè Sanctis datis, tum maximè pro iſto, N. tibi indigniſſimæ Cræaturæ conceſſo gratias agere. *3tio.* Te velle tanquàm indignum filium intentioni Sanctæ Matris Eccleſiæ ſatisfacere, tendendo in omnes eos fines quos illa vult & intenidt. *4to.* Te velle impetrare omnibus in unitate Eccleſiæ exiſtentibus, ſingulariter verò tibi vel huic N. hanc N. vel illam gratiam, neceſſitatem, virtutem. *5to.* Memor illius moniti Eccleſiaſtici, non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris humilia te præmittendo actum Contritionis cùm imploratione gratiæ.

In Oratione.

Stude attentionem, devotionem (*pro ut habes ſupra Parag: 1. de Rectificanda intentione*) necnon & intentionem actualem, aut ad minimum virtualem continuare, aut ſaltem identidem renovare cum interna externáque reverentia. Quod his medijs aſſequi poteris.

1mo. Opportunum tempus vel diem ſingulis orationibus tribuendo. *2do.* Locum magis congruum eligendo. *3tio.* Decentem

centum corporis situm adhibendo. *4to.* Oculorum & Sensuum evagationes declinando. *5to.* Viva fide DEUM præsentem crebro intuendo. *6to.* Si Distractionibus agiteris attentionem renovando *7mo.* Ad sensum verborum sive literalem sive spiritualem attendendo & convenientes affectus excitando: V. G. in Credo excitando Fidem, Spem, Charitatem, in DEUS in adjutorium &c. excitando affectum fiduciæ, desiderium, laudis, humilitatis. In Gloria Patri. Affectum Adorationis, Laudis, Superexaltationis Sanctissimæ Triadis & sic de aliis.

3. *Post Orationem.*

1mo. Defectus minus voluntarios in recitatione admissos, expiare stude recitando Sacrosanctæ vel Laudate Dominum omnes gentes. *2do.* Offer tuum obsequium Æterno Patri in unione meritorum Christi Beatissimæ & omnium Sanctorum ad Intentiones initio præfixas Hæc oblatio poterit formari vel mente, vel ore, formula supra de rectificanda intentione post opus proposita vel aliqua alia ex pio libello desumpta.

§. V.

Praxis Sacræ Meditationis,

ANtequàm ad ipsam praxim accedamus oportet prius nonnulla de Natura Divisione Materia Affectibus Forma, Fine, Causa, Tempore, Loco, situ corporis duratione partibus & integritate Meditationis præmittere.

Quantum igitur ad naturam meditationis. Meditatio est affectuosa & pia rerum Divinarum quæ hominem ad laudandum DEUM, ad virtutes Christi, Sanctorumquè sectandas, ad bonum amplectendum & malum fugiendum provocet, consideratio

Quantum ad Divisionem: Dividitur tripliciter in Piam Cogitationem, Meditationem, & Contemplationem. Pia Cogitatio

tatio eſt, momentanea mentis in DEUM ex aliqua creatura vel loco Scripturæ Sacræ, vel factis & auditis Sanctorum, vel obvijs alijs occaſionibus cùm pio affectu converſio. Meditatio eſt attenta & ſollicita rei cujusquè per cauſas, effectus, propietates aliasquè circumſtantias in ordinè ad æternam ſalutem, conſideratio. Contemplatio eſt, ſimplex DEI & rerum Divinarum ſine diſcurſibus inſpectio.

Quantum ad Materiam hæc juxta tres Perfectionis vias eſt triplex. Vià Purgativa pro materia habet Finem ultimum peccata, miſerias humanas, Quatuor noviſſima, aliaqne motiva contritionis. Via illuminativa vitam Chriſti aut cujuslibet Sancti, Item virtutem aut actionem aliquàm reformandam. Via unitiva habet, Glorioſa vitæ Chriſti Myſteria & Beatiſſimæ Virginis, Attributa Divinà, beneficia in præſenti nobis collata aut in futuro promiſſà.

Quantum ad Affectus. Hi itidem juxta tres vias ſunt triplices. Viæ Purgativæ ſunt diſplicentia, dolor, odium, deteſtatio, horror, peccati, timor juſtitiæ & judiciorum DEI, Inferni, Purgatorij, confuſio, contemptus, pudor ſui, admiratio Divinæ Potentiæ & alij multi. Viæ Illuminativæ ſunt, deſiderium efficax virtutum, gratiarum actio, oblatio, propoſitum, Electio mediorum imitatio, gratiæ petitio &c. Viæ unitivæ ſunt Admiratio, laus, Gratiarum Actio, timor filialis, Amor, Reſignatio, & alij plurimi quos ipſe Spiritus S. meditantes, edocebit.

Quantum ad Formam. Forma Meditationis eſt, ut ſit attenta ſollicita & cunctabunda cogitatio. Dicitur cunctabunda ad[t] differentiam piæ cogitationis quæ poteſt in momento fieri. Dicitur ſollicita ad differentiam Contemplationis quæ facile fit ſinè magno laborè & longo diſcurſu. Dicitur attenta ad indicandum quia meditatio debet, diligenter cujusquè rei Naturam, Cauſas, Effectus, Actiones & Proprietates indagare.

Quantum ad Cauſam Efficientem. Cauſa Efficiens Meditationis; DEUS eſt, & Homo, DEVS gratiâ ſuâ præveniens & illuminans

minans memoriam Intellectum & voluntatem hominis. Homo per easdem potentias, Divino præsidio munitus, gratiæ cooperans.

Quantum ad Finem. Finis est triplex immediatus mediatus & ultimatus. Immediatus est, clarior cognitio DEI Christi Domini & suiipsius. Mediatus sunt actus interni, & externi, virtutum juxta proposita in meditatione concepta exercendi, Ultimatus est, sublatio imperfectjonum, reformatio sensuum acquisitio solidarum virtutum & unio cùm DEO.

Quantum ad Tempus. Nocturnum meditationi est, aptissimum postquàm tantùm quis dormivit quantum ad caput liberum sufficiat, quanquàm & in die possit fieri meditatio maximè ubi silentium observatur.

Quantum ad Locum. Hic debet esse, quietus. Undè excreationes violentæ, respirationes fortes musitationes, discursus, strepitus, & alia hujusmodi longè debent esse à loco meditationis præsertim in communitate.

Quantum ad situm corporis. Situs debet esse, reverentialiter compositus ut nihil offendat DEUM quem præsentem habemus. Undè oportet flectere (nisi infirmitas vel debilitas excusèt) caput quietum & apertum nisi aliquid aliud obsit, haberè manus ut plurimum junctas, oculos demissos, omnis in summa irreverentiæ & commoditatis species ut sedere fulcire se cubitis, jacere in scamnis, omnino caveri debent. Constat quippè certissimâ experientiâ eum qui in meditatione commoditates non necessarias quærit omnia dissipare nullumquè fructum ex illa colligere.

Quantum ad Durationem. Illa solet esse, meditatio fructuosior quæ prolixior ita tamen ut meditans Sanctitatis rationem habeat. Ordinariè una hora meditationi per diem assignatur.

Quantum ad Partes. Istæ sunt tres. Præludium, Consideratio, seu trutinatio Punctorum & colloqoium seu petitio.

Quantum ad Integritatem. TotumMeditationis corpus consistit in exercitatione trium animæ potentiarum Memoria, Intel-

lectu & voluntate. Memoria materiam proponit. Intellectus materiæ à memoria subministratæ Causas, Effectus, proprietates aliasquè circumstantias disquirit. Voluntas excitata & inflammata ex rationibus ab intellectu disquisitis affectus varios elicit: His ità præmissis ad servanda in Praxi accedamus.

De Observandis ante Meditationem.

Ante Meditationem hoc potissimum observandum est, ut mens ad tam sanctum opus convenienter præparetur quod dupliciter fieri potest. Remotè & proximè.

Remota præparatio consistit in tribus. *1mo.* In removendis, impedimentis, qualia sunt Cor gravibus peccatis onustum sollicitudo de futuris contingentibus, vel officijs sibi impositis, evagationes per sensuum portas ingredientes. *2do.* In instruendis potentijs animæ necessarijs reqnisitis; hoc est, ut memoria, intellectus, & voluntas, habeant cognitionem earum rerum, quæ ad meditandum omnino prærequiruntur, quales sunt, cognitio, praxis meditandi notitia affectuum & aliorum requisitorum superius enumeratorum. *3tio.* In procuranda corporis bona dispositione, hoc est, ut vires corporis nec per intemperantiam obruantur, nec nimijs vigilijs, jejunijs, laboribus, violenta affectuum extorsione debilitentur & enerventur.

Propinqua præparatio consistit itidem in tribus. *1mo.* In materia attentè prævidenda, atquè in certa puncta distribuenda *2do.* In recollectione intellectus & phantasiæ immediatè ante meditationem procurranda. *3tio.* In voluntate ad Devotionem excitanda.

De servandis in ipsa Meditatione.

Habitâ sic præparatâ materiâ Meditationis: Sistat se inprimis viva fide cùm magna humilitate & reverentia in conspectu DEI.

2do- Petat gratiam ritè meditandi recidando devotè vel collectam Actiones nostras, vel veni S. Spiritus. Vel aliqua interna suspiria promendo ex Psalmis aut alijs Orationibus V. G.

DEUS

DEUS in Adjutorium meum intende. In justificationibus tuis meditabor. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Domine JESU qui es via veritas & vita sinè qua nemo venit ad Patrem Eia illumina me doce me justificationes tuas Nonnulli satis laudabiliter consveverunt Beatam Virginem Angelum tutelarem aliosquè Sanctos, adjutores Meditationis adhibere.

3tio Petitâ sic gratiâ formet breviter & commedè præludia. Circa quæ Observa Præludia varia pro varietate meditationum solere formari & adhiberi. In Meditationibus de materia Historica ut plurimum tria adhibentur. In primo solet fieri rememoratio Historiæ in *2do*. Imaginatio loci personarum &c. in *3tio*. Petitio gratiæ quàm in Meditatione volo exercere. In Meditationibus de alijs Materijs duo communiter adhibentur Præludia unum quod accomodatam rei imaginationem contineat. Alterum quod petitionem gratiæ convenientis complectatur.

4to. Finitis sic Præludijs incipiat meditans Punctum *1mum*, per memoriam sibi repræsentatum, Intellectu suo accuratius expendere & idoneas rationes inquirere, quibus voluntas ad pios affectus eliciendos excitetur: Quod ubi peregerit per reliqua Puncta simili modo procedat.

Obsetva *1mo*. Ad facilius & uberius discurrendum plurimum prodesse examinare & expendere rem per circumstantias sequentes: Quis (dixit vel fecit) Quid cur quomodo, Quis fructus, ubi, quando, pro quibus, A quibus &c. Non est, autem necesse circumstantias istas omnes semper expendere sufficit aliquas magis congruentes.

Observa *2do*. Ad vitandam confusionem in discursu, plurimum prodesse cettùm aliquem ordInem servare in disquirendis istis circumstantijs V. G Expendere inprimis personas ipsas: deindè verba si quæ se offerunt; tertio facta, quid egerint quid tolerarint: quarto quâ de causa. *5to*. Quomodo &c, referendo omnia ad pium voluntatis affectum excitandum.

Observa *3tio*. Prodesse etiam ad discursum formandum, affectumquè continuandum habere in promptu, sententias &

prophetias materiæ congruentes. Item similitudines, dissimilitudines comparationes à majori, minori, pari, &c. Item ab Antecedentibus concomitantibus & subsequentibus. V. G. Quæ incommoda peccatum mortale, vel quæ commoda virtutem præcedant, comitentur, subsequantur. Aut quid boni vel mali ex his provenerit nobis olim, nunc proveniat, in vita reliqua item in morte & in altera vita proventurium sit.

5to. Formatis sic discursibus per Intellectum, conetur meditans ex ipsis non tam subtiles quàm pios in voluntate suâ excitare affectus illosquè tam diu prolonget donec per ardentia desideria sibi satis fuerit factum ità ut contentus quiescat.

Observa. *1mo.* Pro cognitione horum affectuum quod licet certi certis vijs assignentur uti supra vidimus, tamen hi sunt magis usitati & pene omni materiæ conveniunt qui illo disticho exprimuntur

Crede DEO, Spera, Geme, Time, Ama. Mirator,& esto
Gratus, Gaudeto Geme Luge Imitator Honestum.

Observa *2do.* Pro dilatatione & continuatione horum affectuum quod tribus modis secundum tres temporis differentias (nimirum Præsens præteritum & futurum) exerceri & dilatari possint. *Quoad Præsens dilatari possunt*, his quinque desiderijs seu suspiriis. *1mo.* Admirando, agnoscendo, & confitendo, nostram insufficientiam, quoad intellectum. & affectum, in illis prout par est, eliciendis. *2do.* Exercendo tamen illos pro modulo nostro tenui, perfectissimequè exercere desiderando, hoc est, pura Intentione, magna intensione, constanter sine cessatione. *3tio.* Desiderando eos exercere affectu omnium creaturarum si id fieri posset. *4to.* Offerendo DEO similes actus excellentissimos Christi Domini Beatissimæ Angelorum & omnium Sanctorum. *5to.* Optando ut idem nobiscum omnes viatores pro mensura gratiæ sibi datæ præstent. Quoad Præteritum dilatari possunt ijdem affectus, eodem modo per quinquè suspiria dolendo de præterita nostra in ijs frequentandis socordia. Quoad futurum dilatantur eodem modo proponendo eos in posterum sæpius frequentare.

Exem-

Exemplum hujus dilatationis habetur meditatione prima de Passione Domini.

Observa 3tio. Affectus non coactè & extortè sed discretè & svaviter, nec semper omnes sed nunc hos nunc illos; nunc quoad præsens tempus nunc quoad Præteritum nunc quoad futurum exercendos, idquè maximè tempore ariditatis nam tempore consolationis sequendus est, ductus & impulsus S. Spiritus.

6to. Excitatis sic in voluntate affectibus, concipienda sunt proposita practica suo tempore & modo ad opus deducenda. Et hæc proposita practica sunt præcipuus fructus meditationis sinè quibus in vanum meditamur: Præstat enim leniter intellectu discurrere voluntatemquè parum affici & multum proponere executioniquè mandare, quàm superabundanti consolatione in meditatione deliniri & post meditationem nihil facere.

Observa proposita hæc non circa res extra ordinarias arduas, & exoticas versari debere sed circa res, quotidianas & obvias quæ facile in praxim redigi possint. Cujusmodi sunt quæ concernunt extirpationem vitiorum, mortificationem Passionum, exactam functionum ordinariarum executionem.

7mo. Conceptis & formatis propositis practicis subijcienda sunt, non solum in fine meditationis (ubi præcipuus eorum locus) sed si placet etiam post quodlibet Punctum, Colloquia: in quibus bona nostra desideria & proposita, vel DEO vel Beatissimæ vel Sanctis humiliter commendanda gratiaquè necessaria, ad illa exequenda, obnixè postulanda.

De servandis post Meditationem.

1mum. Finito meditationis tempore examinandus est, accuratè successus recolendo modum præparationis, præludia, Discursus, Affectusquè, cùm propositis. Si bene successit gratiæ agendæ DEO cùm proposito deinceps ità Meditandi. Si malè causæ requirendæ cùm dolore, & proposito, emendationis. Signa porro boni successus sunt. *1mo.* Elapso tempore sentire se paratum ad diutius meditandum. *2do.* Non spontè inhæsisse distractio-

nibus. 3tio. Servasse ordinarium modum meditandi cùm præparatione. 4to. Non tantum pios affectus sed & proposita practica in particulari formasse. 5to In executione propositorum sentire solito majorem facilitatem, robur, gaudium; Mali verò successus signa sunt opposita quinquè superioribus.

2dum. Proposita practica revocanda sunt in memoriam, vel si inter meditandum nulla formata sunt tunc aliqua præsenti diei accomodata formanda erunt simulquè occasiones perspiciendæ atquè ordinandæ illa exequendi hoc vel illo modo, tempore, loco, &c.

3tium. Prodest non parum rariora lumina & proposita majoris momenti, scripto breviter notare, ea enim relegendo inardescit affectus, & ad Perfectionem prosequendam acriùs inflamatur.

Quæres 1mo. Quomodo se gerere debet is qui in principio Meditationis magnam sentit difficultatem in recollectione sui? ℞. Humiliet se & DEUM precetur ut sibi gratiam juxta suum beneplacitum præstare dignetur.

Quæres 2do. Quid faciendum quando capitis dolore laboramus? ℞. Svaviter tunc & breviter Meditandum nec tanta applicatione intendendum quantâ dum caput recti sibi constat.

Quæres 3tio. Quid faciendum quando à somno meditans opprimitur. ℞. Diversa posse adhiberi remedia, vel compungere carnem, vel nudis genibus flectere, vel aliquod cordis elationes ad DEUM elicere.

Quæres 4to. Quid faciendum tempore distractionum. ℞. Vel distractiones proveniunt ex debilitate phantasiæ, vel ex negligentia nostra vel ex tentatione dæmonis. Si ex infirmitate phantasiæ procuranda est, bona dispositio corporis. Si ex negligentia nostra, fervor assumendus. Si ex tentatione dæmonis surda quasi aure prætereunda est.

Quæres 5to. Quid faciendum temporè ariditatis? ℞. Si ariditas oritur, ex nostra superbia; humiliare se & indignum omni consolatione reputare. Si ex immissione Divina resignare se

ejus

ejus beneplacito ad ariditatem illam totâ vitâ perferendam. Si ex indiſpoſitione corporis offerre Divinæ Majeſtati deſideria & affectus Chriſti Domini Beatiſſimæ & Omnium Sanctorum. Si ex alijs cauſis conari elicere præfixa deſideria, reſoluto voluntatis decreto quantumvis corde arido.

Quæres 6to. Quid faciendum quando voluntas ad nullum affectum excitatur? ℞. Si poſt longum tempus non excitetur tunc vel aliud punctum erga quod magis anima afficitur aſſumendum. Vel ad alios Meditationis affectus progrediendum.

Quæres 7mo. Quid faciendum quando Meditans tempus meditationis propè effluxiſſe animadverterit & nihil penitus vel ob negligentiam vel ob diſtractiones vel ob aliam quampiam cauſam effecit? ℞. Tunc aliquot intenſos virtutum actus videlicet contritionis, humilitatis Amoris eum elicere, debere amiſſi temporis jacturam tanto majori affectione reſarcire geſtiendo.

Quæres Ultimo. An oporreat oculos claudere in Meditatione? ℞. Licitum eſſe facere ſecundum quod ſibi meditans conducere proſpicit ad recollectionem interiorem. Et hæc de ordinario modo meditandi,

Præter explicatum modum & Praxim ut nauſea condiretur quàm plerique in Meditatione licet ſit pretioſiſſimus cibus ſentiunt, invenerunt Magiſtri Spiritus alios modos ſeu praxes res Divinas & ſalutares expendendi.

1mus. Modus eſt: quo diſcutiuntur præcepta DEI aut Eccleſiæ aut peccata capitalia, aut quinquè ſenſus aut alia quæcunquè mandata Divina, unum poſt aliud quomodo ſingula cuſtodita, vel violata ſunt poſtquè ſingulum unum Pater aut, Ave MARIA aut, ſimul utrumquè veniam pro tranſgreſſione precando recitatur. Hic modus competit propriè ijs qui in via Purgativa verſantur.

2dus. Modus. Meditandi eſt, (qui proficientibus convenit) quô Oratio Dominica, vel Salutatio Angelica, vel Pſalmus, vel Hymnus, vel Litaniæ, vel quævis alia pia oratio vocalis, tam diu in prima voce vel in primis vocibus ſenſum aliquem

certum conficientibus expenditur affectibusquè consentaneis circa eam eliciendis insistitur usquè dum affectus latens hauriatur, & devotioni internæ satis fiat.

3tius. Modus est, per modum aspirationum & affectuum qui corporis respirationibus respondent ita ut inter unam & alterā corporis respirationem affectus aliquis piùs aut gemitus Spiritus, aut brevis jaculatoria Oratio ex intimo animæ nostræ erumpat, brevi illo tempore quod inter respirandum iutercedit expositâ in æstimatione sensu aut gustu Spirituali, illâ re quam desideramus aut petimus juxta illud Davidis: *Os meum aperui & attraxi Spiritum.* Hic modus ijs accomodatissimus qui unitivam peragunt viam.

4tus. Modus est, Quo integra vita Christi, incarnatio, Nativitas, Prædicatio, Mors, Resurrectio, Ascensio adhibitis identidem varijs affectibus brevi compendio recogitantur. In hac Meditatione si quis ad finem usquè perseveraverit (*Dicit Author vetustissimus Armarij*) gratiam DEI, tam certo sibi promittat acsi pignus certum in potestate sua haberet. Alios modos extra ordinarios Orationis mentalis non adfero Legatur in introductionibus, *Ludovici de Ponte §.* 11.

§. VI.

Praxis Audiendi Missam.

Cum unum è præcipuis Christianæ & Religiosæ pietatis exercitijs sit Divinissimo Missæ Sacrificio quotidiè interesse, ut copiosum gratiæ fructum ex tanti mysterij assistentia referas sequentia observa.

Ante Sacrum.

Inprimis excita in te ardorem devotionis & breviter ruminando, quis, quid facturus sit vel orationes aliquas vocales ciendis affectibus accommodatas recitando.

Deindè fac intentionem te per manus Sacerdotis Sacrificium hoc Divinæ Majestati velle offerre. *1mo.* Ad majorem ipsius

sius gloriam. *2do.* In confessionem supprEmi Dominij quod habet in omnes creaturas, *3tio.* In commemorationem acerbissimæ Passionis & mortis JESU Christi. *4to.* In honorem augmentumquè Gloriæ Beatissimæ Virginis. *5to.* In æternam gratiarum actionem pro omnibus donis quibus affecit Humanitatem Domini nostri JESU, Beatissimam Virginem, Omnes Angelos & Sanctos suos & præcipuè Sanctum N. cujus hodiè festum celebramus. *6to.* In satisfactionem pro peccatis meis. *7mo.* Specialiter autem pro hisNN.vel hac & hac gratia obtinenda.

In ipso Sacro facienda.

Præmissâ sic debitâ intentione inprimis dic Confiteor cum Ministro, & conare intensum actum contritionis elicere cum firma spe veniæ absolutionem sacerdotis excipiendo. Deinde usquè ad Canonem recita Coronam simul ruminando ipsius mysteria vel alias vocales orationes.

Sub Canone Rumina & repræsenta Æterno Patri dilecti ejus Filij, per triginta tres annos vitam, ærumnas, labores, fatigationes inEvangelizando,sputa,improperia,& per flagella,vulnera, spinas hæc omnia pete tibi & alijs omnibus cordis puritatem peccatorum remissionem vel ea quæ intendisti orare.

Sub Elevatione Rumina in Cruce extensionem, Crucifixionem, Elevationem, totius sangvinis à corpore separationem, mortem, depositionem de Cruce, ac Sepulturam, & elice actum fidei & adorationis, vel contritionis cùm spe veniæ dicendo, vel ore vel corde, *Cùm S. Ambrosio :* Tu Rex Gloriæ Christe &c. *vel cùmS. Francisco,*Respice Pater in faciem Christi tui & miserere nobis.

Post Elevationem. Offer æterno Patri eandem vitam & Passionem Christi cùm infinitis ejus meritis pro his vel illis fidelibus defunctis speciatim verò pro destitutis vivorum suffragijs vel qui propter te, in Purgatorio detinentur, vel quorum liberatio cedit ad Majorem DEI Gloriam.

Dum dicitur Agnus DEI. Excita in te profundam humilitatem, reverentiam, & contritionem cùm desiderio communicandi.

Dum

Dum dicitur Domine non sum dignus, dicendo cùm Sacerdote humilia te, & invita Christum ut saltem per novam gratiam ad te venire dignetur, siquidem indignus es ut Sacramentaliter & realiter ad te ingrediatur: Pete veniam ejusquè te beneplacito resigna: His expeditis prosequi poteris preces vocales paulisp er interruptas, usquè ad finem sacri.

Benedictionem Sacerdotis reverenter excipe memor Christi dum cælos ascenderet suos benedicentis cùm spe & desiderio uberioris gratiæ per ipsum impetrandæ.

Evangelium deniquè *S. Joanis de Verbo Incarnato,* audiens simulquè Christum in fine sæculi ad judicandum venturum reminiscens gratias age pro beneficio Incarnationis, & gratiam obnixè pete ita vivendi sicut optabis vixisse in fine vitæ & mundi.

Post Sacrum.

Offer hoc tuum obsequium Christo per Beatam Virginem Angelum Custodem, Patronos Sanctos in unione sacrificij olim in terris ab ipso æterno Patri oblati ad præfixam Intentionem ante sacrum.

§. VII.

Praxis legendi, libros Spirituales.

UT cùm fructu Spirituali lectioni vaces sequentia observa.

1mum. Certum quotidiè tempus lectioni præfige illudquè inviolabiliter sine justa causa quoad fieri potest non ommitte.

2dum. Antequàm legas semper te præpara: Imprimis pura intentione quâ solùm profectum quæras, non curiositati inservias: Deindè brevi mentis elevatione, quâ gratiam petas, ut animus lecta concipiat, recipiat, teneat, & exequatur prout; à te DEUS requirit.

3tium. Non festinanter & mistim, sed lentè, & ordinatè, lege librum quem sumpseris nec priùs legendum relinquè antequàm totum perlegeris; illa quæ te magis concernunt & affectus

mores-

moresquè tuos melius attingunt sæpius relegere nihil vetat, imo plurimum prodest, maximè si Particulare examen adjungas.

4tum. Inter legendum, pios affectus lectioni congruentes elicere stude, proposita practica forma, res illustriores in memoria selige & serva seu potius non confidendo memoriæ in separato libello scribe, ut tanquàm sagittas è pharetra opportunè cùm necessitas tulerit, depromas.

5tum Conclude lectionem brevi aspiratione ad DEVM ut semen in terram cordis tui jactum, servet ac fæcundet ut fructum proferat in tempore suo.

§. VIII.

CIrca audiendas Exhortationes quinquè sunt observanda. *1mum.* Ut Exhortatio summa cùm modestia ac attentione audiatur & acceptetur.

2dum. Ut in Exhortante Magistro, persona DEI consideretur.

3tium. Ut quæcunquè dicuntur non casu aut inordinato monitoris affectu dicta credantur sed propter salutem meam cælitus specialiter missa & data reputentur

4tum. Ut notabiliora puncta Exhortationum in separato libello annotentur ac interdum revideantur.

5tum. Et præcipuum ut audita opere ipso sine dilatione exequantur, Non enim illi beati qui tantum audiunt verbum DEI (*inquit Magister noster Christus*) sed qui custodiunt illud.

§. IX.

Praxis Examinis Quotidiani.

EXamen quotidianum nihil aliud est, nisi discussio vespertina de peccatis, cogitatione, verbo, & opere, omissione per integram diem admissis. Partes examinis hujus sunt quinquè illis vulgaribus versiculis comprehensæ.

Solve DEO grates, pete lumen, discute mentem.
Delicti veniam posce, recide malum.

Dicitur. 1mo. Solve DEO grates, id eſt, pro acceptis tam ea die ſpeciatim quàm alias univerſim beneficijs; hoc vel ſimili modo.

O Beata Trinitas unus DEVS gratias Maieſtati tuæ ago quàm poſſum maximas pro innumeris & maximis beneficijs quæ ex momento conceptionis meæ usquè in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi, gratias ago tibi pro Creatione, Conſervatione, Redemptione, ſpeciali ad fidem Catholicam, & Sacram Religionem, vocatione alijsquè innumeris beneficijs hodie à te acceptis.

Dicitur. 2do. Pete lumen, id eſt, gratiæ Divinæ quâ illuminatus cognoſcere & execrari poſſis omnia peccata tua, hoc vel ſimili modo: Et rogo per eandem benignitatem tuam dignare illuminare tenebras meas, gratiamquè largiri, agnoſcendi, deteſtandi, emendandi, & compenſandi, omnia peccata, negligentias, & ingratitudines meas, quibus hodie Divinam Maieſtatem tuam offendi ut deinceps per omnia tibi placeam.

Dicitur, 3tio. Diſcute mentem, id eſt, Examina ordinatè & exactè omnes cogitationes verba opera & omiſſiones tuas. Ordinatè autem examinabis ſi certum aliquem ordinem obſervaveris, V. G. expendendo imprimis loca in quibus fueris, deinde horas, poſtea negotia, tum perſonas quid cùm ſingulis tractaveris & egeris. Exactè verò examinabis ſi ita ſingula expenderis quaſi ſtatim finito examine eſſes ea explicaturus in Confeſſione

Dicitur 4to. Delicti veniam poſce id eſt, expeditâ prædicto modo Conſcientiæ diſcuſſione ſtatue ante oculos tuos ab una párte imperfectiones commiſſas ab altera beneficia, & gratias à DEO tibi impertitas, quas admirabundus intuens cùm deteſtatione ſtultitiæ tuæ prorumpe ex imis præcordijs in Actum Contritionis hoc vel ſimili modo.

Domine JESU Chriſte verus DEUS, & Homo Creator & Redemptor meus pænitet me ex toto corde quod offenderim te Dominum & DEVM meum quem amo ſuper omnia & propono amplius non peccare omnesquè peccandi occaſiones devitare.

vitare, confiteri & implere pænitentiam quæ mihi fuerit injuncta. Insuper ex amore tui libenter adversantibus omnibus mihi condono: & in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi Passionem tuam Merita Beatissimæ MARIÆ semper Virginis & Omnium Sanctorum tuorum, atquè omnia opera mea, & totam vitam meam. Et confido in bonitate tua infinita & misericordia quod per merita Pretiosissimi Sangvinis tui remissurus mihi sis omnia pecata mea, & gratiam uberem largiturus quâ vitam Sanctè instituere tibiquè perfecte usquè in finem seruire valeam. Amen. Hunc Actum adisce memoriter & quotidie antequàm cubitum eas vel Sacram Confessionem facias recita affectu Filij Prodigi.

Dicitur *5to.* Recide malum id est, firmiter propone, malle te prius millies mori quàm resumptis defectibus Supremam offendere Majestatem.

§ X.

Praxis Examinis Particularis.

EXamen Particulare est cura peculiaris & particularis circa unum aliqvod vitium extirpandum. Vel virtutem acqvirendam quod ut cum fructu peragas seqventia diligenter observabis.

Ante Examen.

1mo. Observa, qvæ te vitia magis in via perfectionis impediunt & elige præcipuum expugnandum vel virtutem magis tibi necessariam iuxta consilium Patris Spiritualis.

2do. Electo jam vitio & virtute pete humiliter gratiam stirpitus illud eradicandi vel in virtute proficiendi.

3tio. Ut magis ac magis proficias propone quotidie mane firmiter, & fideliter, contra illud vitium, decertandi vel virtutem conquirendi.

4to. Jnterdiu memor sis sæpe propositi, gratiam cum diffidentia tui petendo, & si forte lapsus fueris admota pectori manu dole resurge, & virilius deinde certare propone.

In ipso Examine.

1mo. Gratias age Deo generaliter pro omnibus beneficiis. 2. Pete gratiam unico suspirio cognoscendi lapsus, contra propositum admissos. 3. Statutis temporibus videlicet meridie, & vesperi, numerum lapsuum inquire, & in charta vel tabula annota. 4. Si lapsus es dolorem excita, cum proposito emendationis: Si non deprehenderis te lapsum, gratias age cum proposito deinceps etiam coöperandi diuinæ gratiæ.

Post Examen.

Si adhibitâ aliquamdiu curâ peculiari, ad vitium peculiare extirpandum beneproficisti Deo gratias age illiq; totum adscribe: Sin minus causas inquire, & novo fervore incipe, nec desine, donec vitium sit debilitatum, vel virtus firmiter sit radicata, ita ut sine difficultate exerceri possit, quod facile assequeris, si ferventer, & frequenter gratiam proficiendi postulaveris, operaq; mortificationis pro lapsibus tibi assignaueris, *E S. Ignatij Logjolæ*, qui ante somnum tot sibi solebat ictus infligere quoties interdiu contra propositum effusius risisset.

Observa. Exteriores defectus quibus proximi offenduntur prius esse assumendos, & extirpandos, quales sunt detractio, murmuratio, contentio, silentij fractio. Postea internos quales sunt iudicium temerarium, odium, cogitationum evagatio, mentis elatio.

§ XI.

Praxis Examinis Menstrui.

AD fervorem spiritus continuandum augendumq; mirificè confert serius usus examinis Menstrui in quo transactum tempus, & spiritualis profectus in trutinam assumuntur.

Tempus huius examinis instituendi, est ultima vel penultima dies, vel festum vicinius mensis. *Praxis talis.* *1mo.* Gratias age pro beneficijs tàm animæ, quàm corporis integro mense perceptis præcipuè verò pro tempore, & sanitate tibi impertita, formula ut supra in examine quotidiano.

2do. Pete gratiam quâ illustratus cognoscere possis rationem consumpti temporis, cum profectu, vel defectibus his integro mense commisis simili forma ut supra.

3tio. Discute ordinatè quomodo pretiosum tempus mensis elapsi expenderis, quantum devotioni, mortificationi, Vigilijs orationi, Choro, Obedientiæ, & quantum deinde otio verbis inutilibus somno deambulationibus dederis. Discute postea quantum in extirpandis vitijs præcipuè pro illo mense assumptis, vel virtutibus acquirendis profeceris.

4to His ita discussis perpende in quo plurimum temporis amiseris, ut sequenti mense iacturam istam caveas.

5to. Inquire postea quæ te imperfectio magis infestat, vel quæ tibi virtus magis necessaria, ut eam pro sequenti mense assumas extirpandam, vel hanc acquirendam. Si autem præterito mense vitium, vel virtutem aliquam habuisti, examina te si aliquem profectum circa eam feceris, & mutanda ne tibi est, vel non mutanda.

6to. Post hæc elice serium de negligentia tua dolorem, concipe efficax desiderium tempus bene expendendi, serioq; in virtutibus proficiendi cum affectuosa divinæ gratiæ imploratione. Pro his omnibus commodius peragendis plurimum inseruit Meditatio, de Transacto tempore inter meditationes scripta.

§. XII.

Praxis Confessionis.

Confessio Pars secunda Sacræ Pænitentiæ: Est secreta omnium peccatorum coram Sacerdote accusatio quæ memoriæ occurrunt ad quàm utilius peragendam sequentia observa.

Ante Confessionem.

1mo. Excita in te desiderium debita cum devotione hoc Sacramentum obeundi mere propter veniam peccatorum consequendam & augmentum gratiæ vel aliquod aliud pium motivum.

2do. Pete per infinitam misericordiam DEI ad Pænitentiam te invitantis per merita Christi IESU, Beatissimæ, & omnium

Sanctorum efficacem gratiam agnoscendi, detestandi, confitendi peccata.

3tio. Revoca in memoriam peccata ab ultima confessione, commissa eaq; Breviter, Integrè, Clarè, & Ordinatè in chartula annota vel memoriæ imprime. *Breviter*, omissis non necessarijs & generalibus narrationibus. *Integrè*, explicando omnia quoad speciem, numerum circumstantias mutantes quæ conscientiam aggravant. *Clarè*, id est usitatis & claris verbis. *Ordinatè*, præmittendo priùs peccata contra DEUM, contra proximum: demum contra teipsum.

Ut autem prædicta faciliùs consequaris subijcio brevia puncta, secundùm quæ Religiosus conscientiam suam examinare, & se pro confessione parare debet: Et imprimis.

Quoad DEUM.

An beneficia, DEI præsertim supernaturalia, ut Redemptionis, vocationis magnifecerit gratusquè ijs extiterit.

An in timore DEI & amore & perfectione proficere studuerit.

An præsentiæ DEI memor extiterit.

An horas Canonicas omnesquè alias debitas preces exoluerit quâ intentione & reverentia & an in illis voluntariè distractus fuerit.

An Missam feriatis diebus audierit, vel in illa fabulatus fuerit, vel alijs ansam omittendi præbuerit.

An contra Sanctos aliquid leve dixerit vel Sacra Scriptura ad jocos usus fuerit.

An mendacium sive jocosum sive officiosum commiserit.

An votum seu simplex etiam promissum DEO, vel Sanctis factum, violaverit.

An per Conscientiam, fidem sive serio sive joco falso, vel de veritate dubitans juraverit.

Quoad Proximum.

An promptè Superioribus obedierit, an eis maledixerit, verbis

bis duris offenderit, contra eosdem murmuraverit, oblocutus fuerit, clandestinè irriserit, tacitè contempserit, mandata eorum omiserit, vel invitè fecerit non sincere cum ijsdem egerit.

An humilis & Charitativus erga Fratres fuerit.

An convitia in alios iecerit, temerariè iudicaverit: cognomina turpia imposuerit, verbis contenderit, læserit, ad iram provocaverit, dona supernaturalia, vel corporalia inviderit, odio prosecutus fuerit, ex ira loqui noluerit, &c.

An detraxerit alicui in re gravi & quoties.

An patefecerit alicuius occultum defectum cum infamia & damno ipsius.

An falso aliquem apud Superiorem accusaverit & quoties.

An optaverit alicui mortem, aut aliud malum deliberate & quoties. An damnum intulerit & quale. An cum damno Proximi mentitus fuerit & quali, & quoties.

An provocaverit alios ad peccatum, vel cum debuit & potuit Superioribus non manifestavit.

Quoad seipsum.

An habuerit cogitationes immundas in ijsq; hæserit, vel voluntariè oblectatus fuerit, & quoties.

An turpia verba dixerit. vel cecinerit, vel libens audierit, vel legerit, vel imagines obscænas aspexerit, habeat, vel habuerit & quoties.

An seipsum absq; necessitate contrectaverit.

An se vel alium inebriaverit, & quoties.

An iram vel impatientiam verbis ostenderit, furibundè clamando, dæmones nominando, &c. factis nutibus, oculis, gestu, indignationem manifestando.

An temperantiam in cibo & potu, iuxta regulam servaverit.

An alijs sese prætulerit, superbierit, contempserit, gloriatus fuerit seipsum iactaverit.

An quidpiam contra obedientiam, aliaq; vota Religiosa quoquo modo fecerit.

An modestiam in incessu statu habitu, & recreatione coluerit.

erit. An officijs sibi iniunctis satisfecerit, & quo affectu diligentia, & intentione.

Fxaminet præterea Conscientiam suam an graviter peccaverit in re aliqua cogitatione, verbo, & opere, contra quinque sensus, contra septem peccata capitalia, contra Decalogum, &c.

Insuper, examinet & accuset se, de somnolentiis in profectu spirituali, in mortificandis passionibus', in eradicandis pravis habitibus, & vitijs; de inspirationibus divinis reiectis, seu flocci æstimatis, de tempore inutiliter transacto, de silentio violato, vel non debitè in locis assignatis observato. De defectibus contra Regulam, & Constitutiones communiaq; superiorum mandata, ex industria admissis, & de alijs rebus in quibus graviorèm remorsum conscientiæ sentit.

4*to*. Examinatâ iuxta prædicta puncta, conscientiâ annotatisq; in chartula commissis defectibus, conare veram Contritionem de omnibus hisce peccatis excitare: idq; ex puro amore DEI, super omnia dilecti. Conare itidem excitare firmum propositum, omnia peccata maximè verò voluntaria in posterum non committendi, Quod utrumq; assequeris, devotè & affectuosè recitata oratione Superiori. *Domne IESU Christe, verus Deus, &c.*

Observa. 1*mo*. Contritionem, & actum eius, semper confessioni præmittendam esse & hoc ideo, ut Sacerdos formam absolutionis in dispositam & aptam materiam proferat.

Observa 2*do*. Si recenter Confessus es & nihil grave occurrit paucula absq; anxietate collige: vel veniale aliquod determinatum ex præteritis repete, ut Confessarius formam supra certum aliquod proferat potissimamq; diligentiam circa contritionem eliciendam & propositum adhibe.

Sub ipsa Confessione.

1*mo*. Sic præparatus accede ad Sacram Confessionem quasi ad lavacrum Sangvinis Cristi JESU cum certa spe dealbationis ab omnibus inquinamentis tuis: accede instar leprosi, aut servi nequam aut filij prodigi, aut Mariæ Magdalenæ, aut Petri resipiscentis, procidens humiliter ad pedes Sacerdotis veluti ipsius Christi.

2*do*.

2do. Signa te & dicito: Benedicite Pater, quibus verbis pete benedictionem recte confitendi, detestandi, & emendandi omnia peccata tua.

3tio. Benedictione acceptâ dic: Confiteor & si non integrum saltem decurtatum, usquè ad illa verba, mea culpa.

4to. Dicto Confiteor Expone quàm pridem es confessus. Item an præteritam Confessionem integram fecisti, & quare non: utrum ex oblivione an ex pudore &c. Item utrum pænitentiam absolvisti, & quare non.

5to. Deinde peccata breviter integrè, clarè, ordinatè, humiliter cùm contriti spiritus affectu confitere.

6to. Enumeratis peccatis conclude Confessionem hâc vel simili formâ: De his & alijs totius vitæ meæ peccatis confiteor & doleo, doleo quod aliquando DEUM meum supra omnia diligendum offenderim, firmiterquè propono ampliùs non peccare. Mea culpa mea maxima culpa: Ideò precor B. MARIAM semper Virginem, Omnes Sanctos & te Pater orare pro me ad Dominum DEUM nostrum. Precor insuper salutarem Pænitentiam & Absolutionem.

7mo. Quidquid à Confessario dicitur tanquàm ab ipso Christo, salutis tuæ cupidissimo monitore dictum, humiliter accipe & pro possibili observa.

8vo. Dum forma Absolutionis à Confessario profertur, considera te veluti filium prodigum à Patre Amantissimo stolâ novæ gloriæ ornari. Mirare insuper, & actum fidei elice quomodo sensibilia verba absolutionis invisibilem Sacramenti gratiam ex meritis Chtisti in te operentur.

Post Confessionem

1mo. Recedens à Confessario concipe seriam vitæ emendationem: Memor illius *Joan:* 5. Ecce sanus factus es jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid conttngat.

2do. Prostratus demum ad pedes JESV instar leprosi, vel instar Filij prodigi, gratias age omnium Pænitentium affectu, imò omnium creaturarum, quod te DEVS per hoc Sacramentum

 munda-

mundârit & in gratiam receperit simulquè roga,ut defectus commissos ipse sua gratiâ suppleat, hac vel simili Oratiuncula.

O JESU DEUS infinite misericors & longanimis! quomodo multiplicas super me misericordias tuas dealbando me immundum Sanguine tuo! sit tibi obsecro meritis Beatæ semper Virginis Genitricis tuæ MARIÆ & Omnium Sanctorum grata & accepta ista Confessio & quidquid mihi defuit, nunc & alias de sufficientia Contritionis de puritate & integritate accusationis, suppleat pietas & misericordia tua & secundum illam digneris me habere pleniùs, & perfectiùs, absolutum in Cælo. Qui vivis & regnas cùm DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia. &c.

3tio. Pœnitentiam injunctam ferventer, attente, devotè, & cito persolve; decet enim ægrotum ea quæ ad Sanitatem recuperandam & ad vitæ pericula amovenda spectant, diligenter sinè dilatatione exequi. Adde semper aliquid quô Indulgentiam lucreris.

§. XIII.

Praxis Sacræ Communionis.

MAgnus quidem ex pia confessionis frequentatione percipitur fructus, sed multo major ex sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ præsertim si in usu ejus debita semper adhibeatur devotio. Quam docet Praxis quæ sequitur.

Ante Communionem præmittenda.

1mo. Peractis omnibus quæ de Confessione sunt tradita, compone vultum, totumquè corpus, ad modestiam quàm maximam acsi interius DEUM loquentem audires: *Præpara te Israël in occursum Domini DEI tui quia ecce veniam & manebo in medio tui.*

2do. Fac intentionem te velle communicare. *1mo.* Ut Dominum DEUM tuum affectu omnium Creaturarum honores, & laudes. *2do.* Ut memoriam Passionis & mortis Domini Nostri JESU renoves. *3tio.* Ut omnes blasphæmias & injurias quascunquè à peccatoribus hodiè & alias semper in toto mundo patitur

titur recompenses. *4to.* Ut Sanctissimæ Trinitati pro infinitis donis Humanitati Domini Nostri JESV collatis gratias agas. *5to.* Ut item gratias agas pro beneficijs, tum Beatissimæ Virgini, tum alijs omnibus Sanctis, nec non & tibi indignissimæ Creaturæ collatis & adhuc in vita & morte conferendis. *6to.* Fac insuper particularem intentionem, te velle Communicare; vel ut DEVM glorifices pro donis, quæ Sancto N. cujus dies agitur, contulit, vel ut imitationem virtutum hujus & hujus Sancti tibi impetres; vel ut animas in Purgatorio detentas adjuves, vel ut jacentibus in peccatis resipiscentiam impetres, vel ut ipse tuorum peccatorum remissionem consequaris; vel ut deniquè quamcunquè aliam rem, sive tibi sive amicis tuis necessariam obtineas.

3tio. Pete gratiam ad percipiendos Sanctissimæ Eucharistiæ fructus, & ardenter pete per infinitam bonitatem & merita Christi, per pios devotionis & amoris excessus Beatissimæ Virginis nec non & Omnium Sanctorum in frequentatione hujus Divinissimi Mysterij unquàm elicitos.

4to. Excita in te devotionem quàm maximam desiderando Communionem hanc Sacram affectu Omnium Piorum hominum, tam militantis quàm triumphantis Ecclesiæ sumere. Juvabit ad excitationem horum affectuum, non tam ore quàm devota mente recitare: *cùm Thoma de Kempis Officium de Corpore Christi,* cùm alijs passim precationibus obvijs ante Communionem. Juvabit item piè auscultari Missam juxta praxim superius traditam. Juvabit præterea diligentius expendendo. Quis, ad quem, ad quid, quare veniat; & exinde in varios actus præcipuè verò Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, Timoris, Reverentiæ, prorumpere. Juvabit insuper expensâ vilitate, & indignitate sua offerre Domino DEO, Omnium Sanctorum, omnium item Sacerdotum hodiè Sacrificantium, vel piorum hodiè Communicantium, præparationes & corda hac vel simili formulâ.

Cùm præter propensam in te voluntatem ô DEVS meus nihil in me inveniam, quod tibi pro digna præparatione offeram, offero tibi omnia merita tua, offero tibi Communionem illam

Sanctam à te in ultima Cœna peractam, offero tibi communiones & præparationes Sanctissimæ Matris tuæ, offero tibi præparationem ac Communionem Omnium Sanctorum Apostolorum, in Cænaculo dum hocSanctissimum epulum institueres, existentium; offero tibi omnes præparationes & communiones Christi Fidelium, omnia Sacrificia quæ nunc per universum orbem offeruntur, quæquè unquàm omnes homines obtulerunt ab Abel justo, & offerentur æternis sæculis.

In ipsa Communione Observanda.

1mo. Accedente jam Communione Sacra dic Confiteor, profundè te humiliando, & ad pedes Domini Nostri JESV ad instar Petri vel Magdalenæ cùm reverentia abijciendo.

2do. Dum audis Sacerdotem dicentem, & repetentem Domine non sum dignus, dic & repete cùm illo *ad instar Centurionis* vivâ fide, & intimo contriti spiritus sensu, recolendo. *1mo.* Non sum dignus ob peccatorum meorum gravitatem. *2do.* Ob ingratitudinem pro tot beneficijs. *3tio.* Ob nihili mei vilitatem & Divinæ Maiestatis tuæ sublimitatem. Vel non sum dignus, propter peccata cordis, oris, & operis.

3tio, Dum surgis ut ad gradus altaris flectas communicaturus: Imaginare te vel in ultima Cæna inter Apostolos recumbere, vel cùm Discipulis in Emaus è manu ipsiusmet Christi Sacram Communionem accipere; vel è manu S. Joannis Evangelistæ cùm Beatissima Virgine communicare, vel imaginare te Vulneribus JESV os applicare sanguinemquè ejus sugere; vel deniquè cogita DEVM tibi pane cælesti os oppilare ut beneficijs ejus superatus tandem aliquando peccare desistas.

4to. Dum corpus Christi in os recipis, recipe tanquàm Manna Cæleste in Arcam fœderis ut ad præsentiam ejus, in te idola Dagonesquè variorum vitiorum corruant. Cùm lingua tangis corpus Christi, refer tactum illum ad sanationem defectuum linguæ tuæ miserias Cùm corpus Christi in ventriculum demittis, demitte tanquàm medicinam, ut virtute illius saneris ab omnibus

iniqui-

iniquitatibus tuis & novam vitam acquiras; vel demitte tanquàm panem nutritium quô fames ac hiatus cordis tui obruatur.

5to. Recedendo à gradibus elice actus. Imprimis profundissimæ internæ adorationis, deinde Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, resignationis, & elice non verbis, sed internis suspirijs, repetendo *vel cùm S. Thoma:* Dominus meus & DEVS meus: *vel cùm Simeone jubilando:* Nunc dimittis servum tuum Domine &c. *vel cùm S. Augustino:* O DEVS meus fac ut me totum amore amoris tui tibi impendam, fac ut nullus sim meus sed totus tuus amore tui patiar, amore tui moriar totus semper sim tuus ut totus tu meus esse voluisti.

Post Communionem Præstanda.

1mo. Postquàm ab altari recesseris convocatis omnibus intra animi tui potentijs adora Christum Dominum ac Regem, in corde tuo veluti in Throno sedentem, ad pedes te ejus *cùm Maria Magdalena, vel Petro, vel Thoma,* prosternendo eosquè reverenter exosculando.

2do. Admirare illiùs tantam erga te indignissimum, & vilissimum dilectionem, & dignationem.

3tio. Lauda & magnifica amantissimum Salvatorem tuum cùm Patre & Spiritu S. realiter præsentem eiquè omnium creaturarum affectu pro tanto beneficio gratias age.

4to. Ad laudes has & gratias tecum peragendas invita omnes Patronos tuos, Omnes Sanctos omnesquè creaturas dicendo Canticum Benedicite &c. Item Hymnum Te DEVM Laudamus. Item Gloria in excelsis DEO. Item Pange lingva &c. vel alias similes affectuosas preces.

5to. Peractis gratijs & laudibus fac propositum unum aliquem defectum tibi infestiorem peculari cura emendandi vel unam virtutem solidiùs exercendi & hoc in gratiam tanti hospitis, imitando homines politiores qui magnis hospitibus in domos suas divertentibus, munuscula plerumquè offerre solent,

6to. Revoca sæpius per diem tantam DEI erga te dignationem tequè modestè circumspectè gere ut vel aspicientibus con-

constet te in Christum JESUM quem sacramentaliter suscepisti trasformatum.

Cave autem diligenter ne recepta hostia terram statim osculeris, posunt enim aliqua fragmenta labijs adhærere quæ osculo isto in terram excutiantur & conculcentur.

Cave *2do.* Ne saltem ante mediam horam elapsam antequàm Sanctissimi Sacramenti species consumantur in terram despuas.

Cave *3tio.* Ne statim te ex Ecclesia proripias, vel ad sæcularia negotia tractanda, & quod gravius est, ad inutiles confabulationes, oblocutiones, risus, detractiones, murmurationes, manente adhuc inconsumpto Christo in ventriculo conferas. Est enim hic ingens abusus, non sine magna irreverentia tanti hospitis: imo ut dicere solebat *S. Teressia*, præcipua causa cur homines ex frequenti Eucharistiæ usu parum emolumenti accipiant. Quare ne tantum abusum committas non sis fastidiosus & tædiosus conjunctus cùm Christo, sed post Sacram Communionem ad minimum mediâ horâ sequentes affectus exerce.

Affectus post Sacram Communionem mente exercendi.

1. O Amabilissime IESU, Deus cordis mei! unde mihi hoc, ut tu venias ad me! Quis enim sum ego, & quis tu! Tu Creator, ego creatura. Tu Dominus, ego servus. Tu DEUS, ego fimus. Tu omne bonum, ego omne malum. Tu gratuitus Benefactor, ego ingratus humuncio. Tu liberalis Pater, ego prodigus filius. Tu omnis pulchritudo, ego omnis turpitudo. Tu infinita sanctitas, & gloria, ego infinita fæditas, & miseria. O millies dilectissime IESU, unde mihi vilissimo terræ vermiculo tanta dignatio, tanta Charitatis dilectio, ut me tàm benigne respicere, tàm amanter visitare, tâm misericorditer pretiosissimo Corpore tuo reficere digneris. Exi à me Domine, quia homo peccator sum! O gratuita & immensa misericordia! O infinita & incomprehensa bonitas! Benedicta sit in æternum tua charitas, quâ ingratum sic dilexisti.

2do.

2do. Adoro te, laudo te, magnifico te, ut Deum meum, ex toto corde meo, & ex omnibus viribus meis. Adoro & laudo omnium possibilium creaturarum affectu, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis, ad spleudidum vivificumq; sacræ mensæ tuæ convivium. Heu mihi, quàm nimis indigne sumpsi hoc Sanctissimum Sacramentum, vel (si es Sacerdos) peregi hoc sanctum Sacrificium.

3tio. Agnosco indigniratem meam, atq; ex animo doleo, de omnibus negligentijs meis. Ignosce, o DEUS meus: ego quod sumpsi (vel si Sacerdos complevi) commendo divino cordi tuo emendandum & corrigendum. Suscipe quæso hæc Sacrosancta Corporis tui misteria quæ tibi omnium communicantium affectu offerro, ad sempiternam gloriam omnipotentiæ, Misericordiæ, Iustitiæ, Bonitatis, Longanimitatis, Charitatis, cæterorumq; attributorum tuorum. Suscipe in commemorationem acerbissimæ Passionis & mortis tuæ. Suscipe in omnimodam gratiarum actionem: omnium divinarum perfectionum, & charismatum tuorum, pro quibus tibi omnibus gratias ago.

4to. Specialiter autem tibi gratias ago, o DEUS meus, ex totis præcordijs meis, pro omnibus donis, laboribus, & meritis Sanctissimæ Humanitatis tuæ. Gratias ago tibi, pro Incarnatione, Nativitate, Pueritia, pro Sanctissimi hujus Sacramenti institutione, pro morte, Resurrectione, Ascensione, & alijs singillatim misterijs vitæ, & Passionis tuæ. O quanto labore tuo docuisti me Evangelium! viam perfectionis, vitæ & salutis. O quanto pretio lacrymarum, sudoris, & sanguinis me redemisti! O quam misericorditer, & efficaciter pretium sanctissimorum meritorum tuorum, præ multis alijs mihi indignissimo applicare decreuisti, re ipsa applicasti, & hucusq; semper applicare non desinis.

5to. Gratias ago tibi, & pro singularibus, & innumeris donis, quæ in Beatissima Virgine Matre tua MARIA posuisti, nominatim verô quia eam ab æterno præuidisti, adamasti, & ab originali labe præservasti: quia eam Virginem post Partum mirâ fæcunditate conservasti, quia eam cum corpore & anima in cælum

assum-

assumpsisti, & super omnes Angelos exaltasti, quia eam mihi, & omnibus fidelibus, in Matrem, & in Patronam dedisti: & quia eam plurimis miraculis in Ecclesia militante clarificasti, & nunc clarificare non desinis.

6to. Gratias itidem ago, pro maximis beneficijs, quibus omnes Angelos: omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, Religionum fundatores, Monachos, & Eremitas, omnes Virgines & Viduas, atq; omnes Beatos cumulasti: Nec non & pro illis quibus SS. Patronos meos NN. affecisti, & præcipuè Sanctum N. cuius festum solemni ritu hodie celebramus.

7mo. Gratias præterea ex toto mentis meæ conatu, ago & pro beneficijs quæ mihi indignissimæ creaturæ tuæ contulisti. Singulariter autem gratias ago tibi, o fons omnis boni, infinitè amabilis, quia me de nihilo creasti, creatum conservas, servatum â multis animæ, & corporis malis liberas. Gratias ago tibi quia me sanguine tuo redemisti; quia me in fide Catholica nasci voluisti, quia me è miserijs sæculi eripuisti. & ad hanc sanctam Religionem vocasti, totq; adjumenta ad perfectè vivendum concessisti. Gratias ago tibi, (si es Sacerdos) & pro sanctissima & sublimissima Sacerdotij dignitate quia me è pulvere terræ erexisti & sancti Nominis tui laudare potentiam voluisti. Gratias ago tibi, & pro omnibus communibus vitæ meæ præteritæ, beneficijs, & pro hodierno usu huius sanctissimi Sacramenti, quia me Pane vitæ satiasti Gratias ago tibi, pro talentis & donis, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus mihi datis, pro vicissitudine consolationum, & desolationum quibus vitam meam mirabiliter texis, ut neq; prosperis nimium efferar, neq; adversis nimium concidam. Pro toleratione mei in tot peccatis ingratitudinibus, & stultitijs meis. Gretias ago, & pro innumeris & maximis alijs beneficijs, quæ ex momento conceptionis meæ, usq; ad hanc horam de tua benignitate suscepi, & per totam æternitatem ex thesauris immensæ largitatis tuæ sum accepturus.

Perti-

Petiones Communes post Sacram Communionem mente exercendæ.

ET nunc his & innumeris alijs beneficijs animatus alia nova humiliter & ſimppliciter peto. Non habeo quidem in me aliquod boni operis teſtimonium, ſed tu miſericordiſſime Domine, tanti Sacramenti fructum noli ſuſpendere, nec per me indignum eorum ſalutis pereat pretium pro quibus victima ſalutaris dignatus es eſſe redemptio.

1. Miſerere igitur miſericordiſſime Domine toti mundo & eum fide ac ſcientia tua reple. Converte omnes gentes, converte Turcas, Scythas, Hæreticos, Schiſmaticos, Idolorum cultores ac perfidos Iudæos, non pereant tot imagines tuæ, non ſit in illis vacuus, & inanis ſangvis tuus pretioſiſſimus. Et quoniam plurimum ab illis blaſphæmaris, ego omnium intellectibus in te credo omnium voluntatibus te diligo, & omnium affectibus te laudo: ſis in æternum benedictus & ultra.

2. Miſerere, & Eccleſiæ tuæ, auge in ea ſanctitatem & ſcientiam, eamq; virorum Apoſtolicorum labore, per totum orbem terrarum extende. Reſpice benignis oculis iuſtos ipſius, reſpice & peccatores eoſq; â miſero ſtatu peccati miſericorditer erue.

3. Adiuva ſummum Pontificem noſtrum N. Paſtorem gregis tui. Intende oculos miſericordiæ tuæ, & in omnes Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Parochos, & in eos qui inter gentes & Hæreticos in verbo tuo laborant, ſalutemq; animarum procurant, fac eos ſal terræ & lucernas ſuper candelabrum poſitas.

4. Miſerere omnium Sanctarum Religionum, & præcipue noſtræ, tribue omnibus ut ſecundum ſuam vocationem vivant, & exactè Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam ſervent. Miſerere Reverendiſſimi Patris Generalis Noſtri N. Provincialis N. Patris Prioris N. Da eis ut verbo, & exemplo cunctis præluceant & me indignum ſuo regimine ad ſalutem æternam dirigant. Miſerere chariſſimorum Fratrum NN eiſq; potentiſſima adiumenta ad perfectè & Religioſè viuendum attribue.

5. Effunde Domine miserationes tuas, & in Regem nostrum N. aliosq; Catholicos Reges, nec non & in universos Principes, Senatores, Nobiles, Cives, plebeios, & in eos qui ad statum spectant sæcularem quos ut in pace ab hostium incursu â peste & fame custodias obnixissimè precor.

6. Offero etiam coram te Domine Parentes meos, Fratres, cognatos, amicos meos, ut eis dones quod voluntati placitum, & saluti eorum profuturum esse cognoveris.

7. Offero quoq; tibi omnes captivos, ægrotos, tribulatos, agonizantes, & in quacunq; necessitate constitutos, ut eis ex tua largitate remedium propriarum necessitatum largiaris.

8. Supplex etiam rogo Clementissime Pater, pro omnibus inimicis meis, ut eis benefacias, & pro infamia, quâ me læserunt, honorem, pro detractionibus bonam famam, pro iniurijs omnem felicitatem tribuas, tantumq; sanctissimi amoris tui cordibus eorum infundas, quantum illi contra me habent odij.

9. Respice benignis oculis, & animas in Purgatorio detentas NN. & quæ nullum suffragium habent, & pro quibus ego orare teneor, cito eas quæso ad cælestes sedes admitte.

10. Præcipuè vero, rogo te Domine DEUS pro dilectissimis meis NN. pro quibus tibi specialiter hanc Communionem offero. Miserere miserere Domine necessitatibus eorum, & postulationibus nostris Placatus acquiesce. Miserere insuper, & aliorum omnium qui se orationibus meis commendaverunt, vel commendati esse cupiunt.

Petitiones privatæ post Sacram Communionem, mente peragendæ.

IAm ô refugium meum, DEUS meus, miserias quoq; meas coram te enarrabo, ut postquam eas, apud te cum gemitu pronunciavero, misericordias tuas erga me citius accendam, & remedia ac dona ex tua benignitate promerear.

1: Peccavi Domine super numerum arenæ maris, & non sum dignus intueri cælum, præ multitudine iniquitatum mearum, concede

cede ergo mihi verissimam Contritionem, quâ omnia peccata mea propter te detester, & assiduis lacrymis eluam.

2. Da mihi verissimam mortificationem iudicij proprij, & voluntatis propriæ. Da rectissimam moderationem sensuum, & passionum. Da absolutum contemptum omnium terrenorum, ut nec honores quæram, nec voluptates appetam, nec divitias suscipiam, sed omnem honorem meum omnes delitias, omnes divitias meas, in te solo bonorum omnium fonte respiciam.

3. Libera me ab omnibus tentationibus, & dolis, tàm visibilium quàm invisibilium hostium, præcipuè vero ab his, qui veniunt sub specie boni, ne bonum inquirens à vero bono divellar.

4. Concede mihi fidem rectam, spem firmam, charitatem ardentem, resignationem plenam, & cum tua voluntate concordiam.

5. Perfice o factor meus intellectum meum, ut in omnibus laudem beneplacitum, & voluntatem tuam quæram. Da ut sim in factis simplex, in dictis verax, erga Prælatos subiectus, erga amicos affabilis, erga benefactores gratus, & ob peccata mea gravissima semper compunctus.

6. Perfice intellectum meum, prudentiâ, & discretione, ut medium in omnibus teneam, tribue mihi cor docile, nè protervus in meo sensu persistam.

7. Perfice memoriam meam, vivâ tui recordatione ut in omnibus locis, & horis te præsentem, semper intuear, & quod officij mei est promptissime exequar.

8. Da mihi & virtutes sanctas Humilitatem, Orationem, Patientiam, Mortificationem, Charitatem, cæteraq; animi ornamenta, quæ me tecum uniant, & statui meo maximopere sunt necessaria.

9. Da mihi per infinitam bonitatem tuam rogo perseverantiæ donum, ut nunquàm per aliquod crimen à te separer sed semper in tua gratia usquè ad mortem perseverem.

10. Da mihi per Sanctissimam mortem tuam te obsecro bonam mortem ut post bonam vitam moriar in te morte justorum.

Tolle à me nimium amorem hujus vitæ & nimium ac immoderatum timorem mortis. Da veram resignationem ut quando & quomodo disposueris lætus hinc abscedam & ad te veram vitam perveniam.

Aufer deniquè à me quidquid me in assecutione Perfectionis detinet præcipue vero vitium N. & potissima adjumenta ad Sanctè vivendum & feliciter moriendum attribue.

Hæ sunt petitiones DEVS meus quas non solum in me sed & in omnibus proximis meis per antiquas miserationes tuas impleri cupio & peto ut tibi placentes in hac vita, in futura tuo perfruamur aspectu. Amen.

O R A T I O.

Ad Beatissimam Virginem post Sacram Communionem.

Commendo me tibi Serenissima veroq; Inclyta Virgo MARIA Cæli ac terræ Regina quæ in tuo Sacratissimo utero eundem Dominum omnium Creatorem quem ego modo suscepi de Spiritu S. conceptum digne portasti. Ptecor te Matrem DEI Sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas ut quacunquè ratione in sumptione hujus Sanctissimi Sacramenti deliqui, tu negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta pura innocens post conceptum Filium etiam castior, purior DEOquè gratior evasisti. utinam & ego tam divi Sacramenti perceptione ita Sanctificer, ut deinceps cor & corpus meum ab omni læthalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto filio de Spiritu Sancto Magnificas laudes Domino læte decantasti & in DEO Salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibus præcibus id assequar Virgo & Mater ut cum hac sacra communione novum & ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione verser, tantoquè hospiti ac Redemptori me nunquàm ingratum sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

§. XIV.

§. XIV.

Praxis Communionionis Spiritualis.

COmmunioni Sacramentali tanquàm affinem adjungo Spiritualem Communionem quæ die qualibet usurpari potest dum per obedientiam uti non licet, Sacramentali Communione. Peragitur autem sequenti modo.

1. Præpara teipsum & quasi sacramentaliter communicare deberes cor tuum accende.

2. Audi Missam attentè & cùm Sacerdos dicit Agnus DEI, repete cùm illo, pectusquè tunde cùm contriti cordis dolore implorando indulgentiam per Sanctissima Agni immaculati merita.

3. Simili modo itera cùm Sacerdote Domine non sum dignus &c. Affectu humilitatis intensissimo indignissimum te amabilissimi salutaris tui visitatione reputando fretus tamen infinitâ ejus Misericordiâ invita illum ardentissimis & profundissimis suspirijs ad mundandam, ornandam possidendamquè cordis tui domunculam.

4. Dum Sacerdos Communicabit (si in Missa exercitium hoc peregeris) cogita quod & tibi sive ipse Sacerdos, sive Angelus particulam consecratam porrigat, quàm tu etiam labia aperiens devotè suscipe, ut teipsum per actus exteriores magis permoveas.

5. Peracta sic Communione Spirituali flecte & persevera in eodem situ sicut in Sacramentali Communione flectere consvevisti.

6. Demum gratias age DEO tuo pro Spirituali refectione actusquè sub Sacramentali Communione usurpari solitos exerce.

v. Exempl. 14. in Speculo Polonico de Sanctissimo Sacramento.

§. XV.

Praxis Celebrandi missam.

INter præcipuas causas, prima est (quod tremens dico) quare multi quotidie celebramus, & post multos Sacerdotij annos modica charismata ex mirifico altaris Sacrificio & Sacramento recipimus; quia oscitanter intermortuè, non eo quô decet cultu

ad ipſum manibus offerendum & ore ſuſcipiendum accedimus. Recepturi altiores Prælatos, vel charjores amicos, cellam purgamus, apparamus, ornamus, invitamus, ſalutamus, gaudemus, complectimur, gratias agimus aliosquè affectus exhibemus: Et cùm Dominus DEVS Homo factus Redempror & Judex noſter, Sacramentaliter excipiendus eſt, vix dignamur caput aperire: Summa præparatio eſt, aliquorum, lavare manus, orationes inter induendum veſtes ſacras ex conſvetudine tepidè oſcitanterquè proferre, imo nequè tunc à vanis cogitationibus & alloquijs abſtinere. Ad removendum hanc tepiditatem conducet non nihil iſta praxis ſi fuerit in uſum deducta, quæ ex multis ſelectiora ante, in & poſt Sacrum facienda complectitur. Nequè incuſes tanquàm longam. Celebratio enim Miſſæ ex quatuor Sacerdotalibus officijs ſeu negotijs; conſtat: Primum & maximum eſt negotium, negotium negotiorum, in quô negotium ſalutis æternæ agitur, reſpectu cujus non immerito alia temporalia negotia, negotiola ſeu nugas pueriles vocaveris: proindè oportet exquiſitiorem ipſius peragendæ modum ad manus habere. Præterea non expedit ut ſimul & ſemper omnia & ſingula quæ hic traduntur exequaris, ſed nunc hæc nunc illa pro opporrunitate & unctione Spiritus absquè multa actuatione & fatigatione. Illud certo ſcias ſi ipſis aſſveſces cùm magno fructu, & cum exigua difficultate, imo cùm ſumma facilitate te Sacrum eſſe facturum.

Ante Miſſam præſtanda.

Ne accedens ad Sacrum videaris tentare ſeu potius irritare aut aut irridere DEVM contrâ quod præmonet Spiritus S. *per os Eccl. c.* 18 *v.* 23. Ante Orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat DEUM. Hæc autem quatuor ſemper antè Miſſam omnino procures.

1. Puritatem eamquè duplicem. Mentis ſcilicet & Corporis. Puritas mentis conſiſtit in carentia omnis maculæ non ſolum letalis ſed etiam levioris. Puritas corporis conſiſtit in munditia exteriori, ut nihil in te immediatâ nocte præceſſerit quod tange-

tangere panem mundum (nisi aliquid aliud excuset & urgeat) impediat; nihil sit sordidum in facie aut in capite aut in manibus, imo neque in vestibus; quod alienum à Convivio Cælestis Regis appareat.

Puritas mentis acquiritur 1. Confessione Sacramentali, si non quotidie saltem alternis diebus aut bis intra hebdomadam, more multorum piorum virorum. 2. Contritione intensiori si non occurat quidpiam ab ultima Confessione, tunc de anteactæ vitæ delictis. 3. Humilitate profundiori expendendo abyssum tui nihili, quoad esse, posse, operari, tàm naturæ quàm gratiæ. Similiter abyssum tuorum pecatorum quæ fecisti, facis, facies, fecisses, faceres, facturus esses, nisi te DEUS præservaret. Puritas corporis acquiritur observatione Civilitatis, seu urbanitatis morū.

2. Excita in te veram devotionem. Devotio consistit in actibus Religionis, submissionis reverentiæ, Gratitudinis, Compunctionis, Amoris, Zeli, Gloriæ, & beneplaciti Divini, adorationis, oblationis,& alijs affectibus promptâ,& resolutâ voluntate elicitis.

Porro devotio hæc varijs modis excitari potest. *1mo.* Vivâ fide apprehendendo non intermortuè neque superficietenus, sed altiori & teneriori affectu, quia in hoc Sacrificio sub vilitatibus panis, & vini, ille verè ac realiter continetur qui pro reparanda salute tua est incarnatus, & natus, qui pro te laboravit, miracula patravit, oravit, prædicavit, dolores & mortem atrocissimam sustinuit ac modo regnans in Cælo te pro tuis factis judicaturus est.

2do. Consideratione mirabilium in hoc Sacramento absconditorum cujusmodi sunt 1. Transubstantiatio naturæ panis in naturam Corporis Christi, vincens omnes creatas actiones tam hominum quàm Angelorum. 2. Existentia accidentium sine subjecto quantitatis sinè quantitate, qualitatis sinè qualitate 3. Existentia unius in innumeris locis, qui sumptus non consumitur. 4. Valor qui ex opere operato est infinitus 5. Repræsentatio quæ Mortem, & Passionem Christi, quæ mediante, peccata munda sunt deleta, ima summis conciliata, denotat. 6. Sacrificium & Sacramentum, Sacrificium in quantum imme-

immediatè & per se ordinatur ad cultum DEI, Sacramentum in quantum refertur ad nostram justificationem.

3*tio*. Attentâ meditatione circumstantiarum: Quis, ad quem, & ad quid venit. 1. Quis venit? Christus Dominus. Ad quem? ad mancipium suum. Ad quid? ut illud à servitute peccati in libertatem deducat. 2. Quis venit? Christus benignus. Ad quem ad debitorem suum. Ad quid? Non ut omnia ejus abripiat, vendat, sed ut pretium ad solvendum tribuat 3. Quis venit? Christus amicus. Ad quem? ad inimicum, ad quid? Ut cùm eo amicitiam ineat & augeat. 4. Quis venit? Christus Magister. Ad quem? ad suum discipulum. Ad quid? ut eum doceat vias DEI. 5. Quis venit? Christus Pater. Ad quem? ad filium prodigum. Ad quid? ut eum induat stolâ primâ gratiæ suæ. 6. Quis venit? Christus Sponsus. Ad quem? ad animam meam. Ad quid? ut eam sibi desponset in misericordia & miserationibus.

4*to*. Hæc eadem devotio, excitari potest lectione piorum librorum cujusmodi sunt pleraquè capita, *Thomæ de Kemp. lib.* 4. *maxime c.* 7. 9. 17. *Divi August. Medit. c* 5. 6. 7. 8. 10. 13. 14. 15. 17. Non oportet autem hos modos simul & semper omnes ad expendendum assumere, sed nunc hos nunc illos pro opportunitate libitu & affectu.

5*to*. Fac actualem intentionem ad quàm celebrare, cui & quem fructum applicare velis. Ut autem ob imperitam inæstimabilis hujus thesauri dispensationem DEUM Gloriâ, Beatissimam & Sanctos honore in purgatorio detentos suffragio teipsum & alios homines multis Sacris proventibus non prives.

Scire debes imprimis, quia fructus Sacrosancti hujus Sacrificij juxta quadru-plicem finem ejusdem, est quadruplex. Latreuticus, Eucharisticus, Propitiatorius, & Imperatorius. Latreuticus ille dicitur qui exercetur ob solius DEI cultum. Eucharisticus qui fit in gratiarum actionem. Propitiatorius in satisfactionem pro peccatis, vel pœnis eorum. Impetratorius in impetrationem hujus vel illius negotij tibi vel alijs.

Rur-

Rursum scire debes, quia hi fructus in tres partes seu portiones dividuntur· 1ma. Cedit omnibus fidelibus & vocatur Communissima. 2dá. Illis pro quibus Sacrificium Missæ offert Sacerdos & vocatur Specialis. 3tia. Ipsi Sacerdoti & vocatur specialissima.

Insuper scire debes quia Sacerdos hos fructus (excepto Communissimo) potest dividere ita, ut uni vel pluribus applicet: Satisfactorium alteri; vel alijs impetratorium. Deinde aliis impetratorium & satisfactorium simul, sive specialem sive specialissimum personæ suæ debitum.

His ergo præcognitis ut tuaMissa plurimis in cælo,inPurgatorio & in terra prosis,forma expansissimam intentionem,quibus personis quibus necessitatibus & quam portionem fructus communicare & applicare, intendas,Equidem assignatur expresse locus, quo ista facias in sacro Canone anteConsecrationem,(nam post Consecrationem non subsunt amplius fructus Sacrificii Sacerdotis applicationi juxta probabilem Theologorum sententiam) Quia vero tempus illud , propter fastidium Sacrum audientium, breve debet esse, ideo svadeo, ut (juxta consilium virorum Spiritualium) Intentiones has , seu Memento ante Missam facias , ad quas te postea in in ipsa celebratione Mysterij referas. Modus formandi intentiones dabitur infra.

6. Pete obnixissimè gratiam, ut Sacro Sanctum, hoc opus debitè possis peragere, dicendo pro opportunitate quinque Psalmos cum annexis precibus, Orationem *S. Ambrosij S. Thomæ* , Orationem ad Beatissimam Virginem inferiùs positam & alias quas habes pias preces.

Ut autem tanto purior etiam à reatu pænæ in conspectu DEI appareas dic & illam Orationem infra positam : Ego volo celebrare &c. pro Indulgentijs per illam lucrandis. Præmitte (si negotia patiantur) & indulgentias stationum & illas quas alijs temporibus frequentare soles.

Decet quoq; ut in hunc finem assumas aliquas voluntarias mortificationes, quales sunt Catenulæ ferreæ vel cilicii gestatio , disci-

plina jejunium, vel aliqua abstinentia saltem in cæna die antecedente Sacrificium. Nihil enim sic ebibit & extinguit spiritum devotionis ac ingluvies ventris.

MODVS,

Formandi Intentionem & Memento ante Missam.

INitio dum ad sacrum præparare te incipis, concipe vivâ fide quid acturus sis, quia nimirum consecratione immutaturus es, substantias panis & vini, in substantiam corporis & sanguinis Domini IESU veri DEI & hominis: atq; adeo cogita tecum quia manibus tuis & ore tuo contrectaturus es illum ipsissimum IESUM qui pro te fuit Incarnatus, Natus, Circumcisus, qui pro te laboravit, oravit, sudavit, tormenta acerbissima & mortem sustinuit, Resurrexit, cælum ascendit, ac modo ibidem regnans te suo tempore iudicabit, & pro demeritis, pænas inferni, vel præmia cæli pro meritis dabit. His breuiter, sed non confusè neq; oscitanter mente conceptis, elice actum cordialis, contritionis, & profundissimæ humilitatis, tùm in sequentes actus ore vel corde prorumpe.

O Trinitas beata, Pater, Fili, & Spiritus Sanctè! O excellentissime & dilectissime DEUS, quàm admirabilis est dignatio bonitatis tuæ, in hoc Augustissimo Eucharistiæ Sacramento! quam proinde immensa reuerentia, cultu, honore prosequenda! Equidem dignissime Domine expensa sublimitate sacri huius mysterij, non est ulla pura creatura in terris, quæ condignè Sacrosanctum hoc Sacrificium & Sacramentum valeat conficere, quia tamen per homines opus hoc fieri voluisti, & me miserum peccatorem, absq; ullo merito meo, ad ministerium tantum elegisti, vocasti, euexisti, satisfaciendo tuæ sanctissimæ voluntati, & circa me ordinationi, ne per me indignum tua tibi pereat gloria.

Volo celebrare Missam, & conficere corpus, & sanguinem Domini nostri IESU Christi, juxta ritum Sacræ Romanæ Ecclesiæ, in maiorem tuam gloriam, intendo tibi reddere omnem possibilem laudem & honorem, quem tibi omnès simul creaturæ

unquam reddiderunt, & in æternum reddent In gratiarum actionem infinitarum diuitiarum, Sanctissimæ Humanitatis, eiusdem IESU Christi Filij tui. In commemorationem acerbissimæ Passionis, & mortis eiusdem Domini mei. In recompensationem omnium blasphemiarum, quibus ab infidis Hæreticis dishonoraris. Insuauitatem & oblectamentum omnium amaritudinum, quibus hodie vel alias unquam ob peccata hominum affectus es acerbissimè.

Volo celebrare, & in gratiarum actionem, omnium prærogatiuarum quibus Beatissimam Virginem Mariam decorasti, præcipuè, quia illam ab originali macula præseruasti, quia in Matrem elegisti, quia post partum inviolatam seruasti, cum corpore & anima in cælum assumpsisti, aduocatam omnium peccatorum constituisti, & multis miraculis in toto mundo clarificasti.

Volo itidem celebrare, & in gratiarum actionem omnium donorum quibus universos cæli cives cumulasti, nominatim quæ meis Patronis Sancto, N &c. &c. nec non & Sancto N. cuius hodie solennem memoriam facimus, vel quorum meminit Martyrologium, tribuisti.

Volo præterea celebrare, & in gratiarum actionem omnium beneficiorum, quæ mihi indignissimæ, & vilissimæ creaturæ tuæ dedisti, speciatim quia me ex nihilo creasti, creatum hucusq; conservasti, Sanguine Filij tui redimi voluisti, ad fidem Catholicam, & hanc Religionem sacram vocasti, ad Sacerdotium evexisti, & alia innumera beneficia contulisti.

Quia vero sacrificium hoc non tantum est Latreuticum, & Eucharisticum, sed etiam Propitiatorium, & Impetratorium, propterea, volo etiam offerre tibi hanc immaculatam hostiam in propitiationem pro (hic specificet cui vult applicare satisfactionis fructum, consultissimè autem faciet si applicaverit pro suis peccatis, vel pro animabus evasioni ex purgatorio proximis, vel pro peccatis suorum amicorum, conditionatè si sunt capaces, quia existentes in mortali sunt incapaces istius fructûs.) Et in Impetrationem primario pro (hic itidem referat necessitatem pro

qua vult applicare impetrationis fructum) pro qua ex obedientia, vel charitate celebrare debeo: Secundario pro meorum, meisq; necessitatibus proprijs pro quibus orare soleo.

Memento igitur Clementissime Pater, per viscera infinitæ misericordiæ tuæ, per infinita dilectissimi Filij tui merita, & miserere inprimis NN. pro quibus hoc Sacrificium facere volo.

Memento deinde,& miserere Ecclesiæ tuæ sanctæ,& præcipuorum eius membrorum, Summi Pontificis, Patriarcharum, Cardinalium, Episcoporum, & omnium eorum, qui ad clericalem statum pertinent fac eos sal terræ, lucem mundi, ut eam sanctitatem arripiant quàm dignitas eorum requirit.

Miserere & omnium in verbo tuo, sive inter gentes, sive inter Hæreticos, sive inter Catholicos laborantium: nec non & omnium curam animarum gerentium. Fac eos idoneos ministros testamenti tui, non literâ, sed spiritu, zeloq; gloriæ tuæ, & animarum inflamma.

Miserere etiam omnium Sanctarum Religionum, maximè verò nostræ, & superiorum eius, P. Generalis, P. Provincialis, P. Prioris, P. N.N.N. & aliorum omnium Fratrum, precipuè verò, qui curæ meæ subsunt. Tribue illis, ut tibi fideliter, & constanter serviant, ut secundum suam vocationem exactè vota servent.

Memento etiam Domine, & miserere omnium Regum, & Principum Catholicorum,& eorum qui spectant ad statum sæcularem,præcipuè verò,Imperatoris Romani, & Regis Poloniæ, qui propagandæ gloriæ tuæ possunt prodesse. Da illis robur adversus hostes suos, & Pseudopolitiam, ut non blasphæmetur nomen sanctum tuum.

Miserere & omnium Hæreticorum, Turcarum, Schismaticorum, Calvinistarum, Lutheranorum, & aliorum omnium quibuscunq; appellantur nominibus. Lugeo, lugeo Domine coram te, tàm multos homines alienos à te.

Miserere & omnium in peccatis mortalibus iacentium, nec non & inimicorum meorum, quos intimè diligo. Doleo quod sic ab illis offendaris. Utinam te omnium cordibus amare possim.

Memento item Domine, & miserere Parentum, Fratrum, Sororum, Cognatorum, Consanguineorum, & quorumvis amicorum meorum. Utinam ad perfectam amicitiam tuam pervenire possint, & quæ saluti incolumitatiq; suæ serviunt obtinere.

Miserere insuper captivorum, ægrotorum, tentatorum, tribulatorum agonizantium, & benefactorum meorum NN. & aliorum omnium qui se hoc mense, vel alias orationibus meis commendaverunt, vel commendati esse cupiunt. Miserere, miserere necessitatibus eorum largiendo, quod voluntati tuæ est placitum, & ipsis proficuum.

Deniq; miserere & animarum NN. defunctorum, & omnium aliorum in purgatorio detentorum, præcipuè verò eorum, qui nullum habent suffragium, qui propter me torquentur, qui hodie decesserunt, qui hic requiescunt, qui minimè habent ad persolvendum, & quorum liberatio ad maiorem tuam cedit gloriam. Horum inquam omnium miserere.

Miserere & mei Peccatoris indigni, & ingrati servi tui. Peccavi Domine super numerum arenæ maris, & non sum dignus intueri cælum, præ multitudine & turpitudine iniquitatum mearum. Concede ergo mihi verissimam contritionem, qua omnia peccata mea ex tuo amore detester. Concede mihi verissimam mortificationem judicij & amoris proprij, da mortificationem voluntatis sensunm & Passionum, ut nihil amem nihil desiderem, nullâ re. oblecter, nisi te solo summo bono meo. Concede, ut contra difficultates in via spirituali, contra mundum, carnem, Diabolum, contra teporem cenodoxiam, pusillanimitatem, contra respectus humanos, & alia impedimenta constanter audeam. Libera me â tentationibus omnium hostium, tàm visibilium, quàm invisibilium, præcipuè vèro, à dolis eorum, qui veniunt sub specie boni, ne bonum inquirens â verò bono divellar. Concede mihi fidem rectam, spem firmam, charitatem ardentem, humiltatem veram, dilectionem non fictam, Obedientiam promptam, timorem tui, Castitatem mansvetudinem, Resignationem, & alias virtutes statui meo necessarias. Da mihi per infini-

tam bonitatem tuam obſecro, & perſeverentiæ donum, ut unquam per peccatum aliquod à te ſeparer ſed uſq́ ad mortem, & in æternum in tua gratia perſeverem. Da mihi per ſanctiſſimam vitam Filij tui precor, & vegetam corporis valetudinem, quàm ego, qualiſcunq́; & quam diuturna fuerit pro gloria tua totaliſſimè, & fideliſſimè impendere deſidero. Da mihi, per innocentiſſimam mortem eiuſdem Filii tui, rogo, & bonam mortem, ut poſt bonam vitam in te moriar morte iuſtorum. Tolle â me nimium amorem huius vitæ,& nimium timorem mortis, ut lætus tranſitoria deſeram. Aufer deniq́; â me quidquid me in aſſecutione perfectionis detinet, & potentiſſima adiumenta ad ſanctè vivendum, & feliciter moriendum attribue. Hæ ſunt, DEUS meus intentiones, hæ neceſſitates meæ, quas ego Sacrificio hoc non ſolum mihi, ſed & omnibus proximis impetrare cupio, idq́; puriſsimè, & intenſiſsimè non ſolum arido meo, ſed omnium hominum & Angelorum affectu.

Quia verò hæc precatio, & poſtulatio mea eſt valde arida, & frigida, ideo offero divinæ Maieſtati tuæ omnes devotas. & ignitas præparationes, intentiones, precationes, affectus eviſcerationes, quas hodie vel alias unquam omnes communicantes, omnes Celebrantes, omnes Sancti in cælo tecum regnantes, & præcipuè Puriſsima Virgo MARIA fecerunt, facientq́; deinceps, uſq́; in finem mundi, uſq́; in æternum, idq́; in unione perfectiſſimarum præparationum, intentionum, & precationum Chriſti Domini Salvatoris noſtri, qui in ultima cæna incruentum hoc Sacrificium inſtituit. & in Cruce ſeipſum cruentam hoſtiam offerens, conſummavit. Tu miſericordiſſime Domine, dona quod placet, largire gratiam, & tuam ſanctam benedictionem. Amen.

Hæ intentiones,& Petitiones poſſunt non immediatè ante ſacrũ peragi, ſed vel de nocte poſt meditationem, vel de mane, vel alio opportuno tempore. Et quanquam viro recollecto, & cum Deo unito parum temporis abſumant, tamen ſi non vacaverit, ſi confeſſiones, Concio, & alia ſalutis alienæ negotia ingruant, tunc relictis his propoſitis Sanctis deliciis, accede cùm meliori præparatione

ratione videlicet cum præda animarum, instar canis venatici cruentum adhuc os è præda habens & saltem sequentem Orationem (si libuerit) eadem brevius complectentem recita.

MODVS
Brevissimæ formandi Intentionem ante Sacrum.

O Beata Trinitas Pater Fili & Spiritus Sancte accedo ad Celebrandum sacrificium corporis & Sanguinis Christi. In gloriam nominis tui sempiternam, in recompensationem & oblectamentum omnium blasphemiarum & injuriarum tuarum. In commemorationem acerbissimæ Passionis & mortis Domini mei JESU Christi. In gratiarum actionem infinitarum divitiarum Sanctissimæ Humanitatis ejusdem Filii tui & Redemptoris mei ac singulorum donorum quibus affecisti Purissimam Virginem MARIAM omnes Angelos & omnes Sanctos & præcipuè Sanctum N. cujus hodie solenem memoriam facimus. Item gratiarū actionem omnium beneficiorū quibus in hoc sæculo omnes prædestinatos magnificas, & me etiam indignissimū & vilissimum & peccatorē afficis. Hoc sacrificium specialiter tibi offero (pro hac persona viva vel defuncta aut pro hac vel pro illa necessitate negotio &c.) pro quo celebrare teneor. Secundario offerro pro necessitatibus Ecclesiæ, Regnorum Catholicorrum, omnium amicorum & inimicorum meorum omnium bennfactorum vivorum defunctorum. Item offero pro remissione omnium pecatorum, pro quibus vehementer doleo; pro mortificatione passionum N. N. N. pro victoria tentationis N. pro adeptione virtutum Charitatis Humilitatis, Patientiæ &c. Tuâ gratiâ pijssime Domine me prævenire dignetur, ut sacrosanctum hoc sacrisicium digne peragere possim, ut non cedat mihi in judicium & condemnationem sed in salutem & gloriam æternam. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem.

O Mater pietatis & misericordiæ Beatissima Virgo MARIA ego miser & indignus peccator ad te confugio, toto corde & affectu, & precor tuam pietatem ut sicut dilectissimo Filio tuo in cruce pen-

pendenti astitisti, & simul cum illo sacrificium immaculatum corporis & sanguinis ejus in mundi redemptionem Deo Patri obtulisti ita & nobis omnibus hic & in tota Ecclesia huic sacrificio hodie præsentibus clementer assistere digneris, ut tuis adjuti precibus dignam & acceptabilem hostiam summæTrinitati offerre & divinos ejus fructus percipere valeamus. Amen.

PRECATIO ANTE MISSAM.

GREGORIUS XIII. Concessit 50. Ann. Indulgentiam dicenti hanc Orationem.

EGo volo celebrare Missam & conficere Corpus & Sangvinem Domini nostri JESV Christi juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad laudem Omnipotentis DEI, totiusquè Curiæ Triumphantis: ad utilitatem quoquè meam totiusquè curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis, in genere & in specie & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Amen, Gaudium cùm pace emendationem vitæ, spatium veræ Pænitentiæ, gratiam & consolationem Spirus Sancti perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis Omnipotens & Misericors Dominus. Amen.

Atq; hæc sunt quæ Sacerdos quasi remotè ante Missam debet facere.

IN SACRISTIA.

Imediate ante Missam servanda.

PRæmissâ ergo sic longiùs vel breviùs secundum opportunitatem præparatione accede vultu totoquè corpore ad modestiam composito ad Sacristiam ibiquè instricto silentio præscripta in Rubricis Missalis perage.

1. Accipe Missale perquire Missam perlege & signacula ordina ad ea quæ dicturus es.

2. Lava manus; inter lavandum recogita breviter indignitatem manuum tuarum, quæ forte saltem venialium peccatorum instrumenta fuere, nunc ad Sacratissimi corporis contactum applicantur.

3. Calicem præpara. Calices aliqui eligunt libenter antiquiores tanquàm eo reſpectu digniores quod in ipſis frequentiùs Chriſti Sanguis fuerit.

4. Hoſtiam accipe & à pendulis fragmentis exterge. Si longiùs gratiarum actioni poſt Miſſam daturus es, eligere potes, piâ Deoquè grata adinventione, hoſtiam craſſiorem ut ea diutiùs in ventriculo maneat, & tu ex opere operato ampliori gratiæ acceſſu fæcunderis.

5. Indue veſtes Sacras. Inter induendum aſſumere potes cogitationem quomodo Chriſtus ab Herode albâ indutus veſte & illuſus fuerit. Vel certè obſecra deſuper indui virtutibus & donis quæ illis orationibus continentur, quas tunc ex præſcripto Eccleſiæ dicis: ſi dictæ veſtes pretioſæ & nitidæ ſint refer ad honorem Sacrificij: ſin è materia vulgariore in memoriam paupertatis Chriſti.

6. Ad miniſtrum indifferens eſto quicunquè obtigerit. Si perſona Religioſa libenter habe & ad dignitatem ſacrificij refer; ſi puer, etiam in vili veſtitu, non contemne eum cujus Angelus videt faciem Patris qui in cælis eſt. Poteſt quoq; nonnunquàm ea aſſumi cogitatio, quod fortaſſe miniſter ipſo ſacrificante ſit dignior & acceptior DEO.

In ipſa Miſſa facienda.

Ut autem ante Miſſam ſic in ipſo decurſu Miſſæ, quatuor hæc diligenter obſerva. Reverentiam, Cæremonias, Attentionem, & Devotionem.

Reverentia conſiſtit in venerabunda mentis & corporis conſtitutione. Acquiritur, vivâ fide DEVM præſentem Beatiſſimam Virginem. Sanctos Angelos altare circumſtantes (*prout ſcribit S. Greg. 4. Dial. c. 8.*) apprehendendo intuendo coramq; eis celebrando.

Cæremoniæ conſiſtunt in diligenti Rubricarum obſervatione, ut cruces inclinationes genuflexiones pectoris tunſiones oculorum elevationes, manuum junctiones & extenſiones pro decenti dignitate, modeſtia, ritu, ordinè ædificatione, abſq; indecora feſtinatione præcipitatione, lentitudine, mutilatione vel omiſſione

fiant prout decet perfici instituta S. Ecclesiæ quæ DEI Spiritu regitur. Ad cæremonias has perdiscendas expedit sæpius relegere (præsertim incipientibus) Rubricas Missalis.

Attentio consistit in pleno & reflexo judicio intellectûs ad sensum verborum & cæremoniarum quæ in Missa adhibentur. Conservatur. 1mo. Custodia sensuum præsertim visûs. 2do. Sedula exclusione omnium inpertinentium phantasmatum negotiorum cogitationum, quæ infra Sacram actionem incidunt.

Devotio consistit in piis voluntatis affectibus exprimendo in se & eliciendo varios actus secundum quod verba & ceremoniæ præseferunt. Ad imbibendos hos affectus devotionemq; continuandam conducit multum. 1mo. Legere explicationem Missæ & cæremoniarum ejus ab aliquo pio authore factam. 2do. conducit exercere se diligentius in proximè sequentibus affectibus ipsosq; sensim non coactè sed liberè secundum unctionem Spiritus frequentare donec longo usu habitus quidam Sanctus acquiratur, quod certè non debet ex acedia vel alia levi de causa omitti, cùm hujusmodi actibus DEVS valde glorificetur, Sancti delectentur, & anima celebrantis multis meritis ditetur.

MODVS

Exercendi varios affectus in Missa propter continuandam devotionem.

Decenter in Sacristia indutus vade ad Altare.

Cùm vadis ad Altare. Vade cùm summa non tamen extorta aut affectata compositione, memor te Christi Domini principalis offerentis vices agere.

Cùm ad Altare perveneris dispositis concinnè, corporali calice & Missali consiste paulisper in medio, strictim tibi præsentiam DEI & Sanctorum operi tuo futuro intentorum revocans; Tum retrocede ad gradus deprimens Spiritum tuum tanquàm indignus ut celebres: vel certe revolve mente quàm promptè Filius DEI descenderit de cælis ad Incarnationem.

Inchoans Missam Signa te In nomine Patris &c. renovando intentionem te purè ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis velle agere id quod ages.

Intro-

Introibo dicens Cogita quod res tibi non cùm homine futura sit nec ad vulgarem aliquàm mensam consistendum.

Confiteor dicens accusa te coram tota curia celesti dicens intus secretam contritionem mea maxima culpa. Istud superlativum refer ad statum Religiosum & Sacerdotalem multum quippe aggravant conditionem peccatorum admissorum.

Osculans Altare Dirige semper affectum vel ad cultum sacrarum Reliquiarum vel ad lapidem consecratum, vel ad linteamina benedicta; quæ non minus habent appretiabilitatis quamilla quibus Christus infans obvolvebatur in præsepio.

Kyrieeleison ter cùm ministro repetens pete misericordiam tibi, adstantibus & defunctis pro peccatis cordis, oris, & operis.

Gloria in excelsis dicens excita affectus adorationis, laudis, gaudij, amoris, & alios juxta sensum verborum.

Dominus vebiscum vel dic tanquàm nuntius (præsertim ante Consecrationem) annuntians astantibus quia brevi cùm ipsis erit ChristusDominus secundum suam præsentiam in Eucharistia. Vel precare (præsertim post Consecrationem) ut Dominus sit cùm omnibus per gratiam Sanctificantem, per peculiarem assistentiam & suo tempore per fruitionem beatificam.

Collectas recitans Pete cùm magna fide, & spe, quod verba sonant. Dulcescat autem tibi & filialem fiduciam excitet illa frequens repetitio Per Dominum Nostrum JESVM &c. potens enim est, apud DEVM memoria unigeniti, & obtestatio Patris per ipsum. ubi etiam illud Qui tecum vivit & regnat profer gaudendo de vita unigeniti Patris & regno ejus Deniq; cùm tibi vacaverit & non fuerit contra rubrum non graveris etiam septem collectas ponere, imò gaude de tanta licentia. Si Aulicis præfecturas apud Regem petentibus diceretur: Petite amplius; libenter haberent non uterentur Syncopis, ità filij tenebrarum Sapientiores sunt filijs lucis.

Epistolam legendo desidera Divinam voluntatem in illa expressam exequi, manumquè uti libro applicas, sic operi hilariter applicare, sive in adversis sive in prosperis quod graduale Tractus & Alleluja denotant.

Evangelium legens teque signans opta Doctrinam Christi ori, cordi, & operi tuo per veram imitationem signanter inscribi.

In fine Evangelii osculans librum: Osculare vel illud spatium ubi est Sanctissimum Nomen JESV vel ubi Crucem fecisti idquè ex tenero affectu tui dilectissimi Redemptoris, & Crucis

Credo in unum DEVM recitans, imprimis conjunctionem IN. refer cùm tendentia amorosa tanquam in finem ultimum. Alia verò dic tanquàm Professionem Fidei quàm à te Ecclesia exigit, antequàm ad tractandum corpus Christi accedas. Dic præterea tanquàm daturus vitam & sanguinem pro singulis articulis qui in eo continentur.

In oblatione Panis & vini: Offer cor tuum imò & omnium circumstantium ut de terrenis fiant cælestia vel certè tanquàm novæ legis Sacerdos occurre irato DEO cùm oblationibus Panis & vini pro consecratione ad ipsum placandum deputatis.

Aquam vino miscens Desidera juxta Orationem quàm dicis totus Christo immergi & commisceri.

Lavans digitos concipe desiderium utriusq; puritatis attendens ad verba psalmi, ut debitè corpus Christi tangere possis.

Cùm abstergis digitos Poteris faciem & oculos tuos versus materias consecrandas convertere quasi custos illarum, conversionem in Corpus Christi animo volvens & ad eam gestiens.

Suscipe Sancta Trinitas dic expansa charitate dirigendo intentionem ad finem Sacrificii ad Sanctissimam Trinitatem ab eaq; fructus ibi enumeratos petendo.

Orate Fratres dicens elice affectum humilitatis diffidentiæ & indignitatis propriæ pro quâ suppienda adstantium Orationes implora.

Secreta dic tanquàm Secretarius Altissimi affectu & supra collectas poteris te non nihil reflectere ad secretum mentis tuæ & ingemiscere quod adeo parum recollectus ores.

Præfationem lege intenso affectu deprædicando DEUM & Christum, illico tibi affuturum præsentem, quod sic dignetur sese per te& in te glorificare.

San-

Sanctus profer tanquàm triumphale trisagium concinens choris, & exercitibus Angelorum.

Te igitur: Quod expansis manibus ad crucifixi imitationem oras, ora humiliter obsecrans DEUM Patrem ut sacrificium hoc quod ratione rei oblatæ & primarij offerentis infinitè gratum est, etiam ratione tui indigni & secundario offerentis omnibus pro quibus offertur proveniat.

In memnto pro vivis Repræsenta breviter sed affectuosè ea negotia vel personas pro quibus vis offerre referens te ad Intentiones & Memento ante Sacrum factum. Nonnulli propter majorem devotionem totam Vitam & Passionem Christi cum actibus & virtutibus suis in memento disponunt, & Patri æterno offerunt, pro omnibus pro quibus orare volunt tali ratione.

1. Cor offerunt pro quibus primario obligantur. 2. Caput pro Papa & Ordine Ecclesiastico. 3*tio.* Prædicationes & fatigationes pro laborantibus in verbo DEI 4*to.* Paupertatem, castitatem, obedientiam, & alias virtutes pro statu Religioso. 5*to.* Brachia cum vulneribus manuum pro statu sæculari. 6*to.* Pedes cum vulneribus pro infirmis, afflictis, incarceratis, &c. 7*mo.* Lachrimas, sudorem, obtrectationes, & Charitatem pro Consanguineis, amicis, & inimicis. 8*vo.* Orationes, vigilias, jejunia sputa, tædia, pro necessitatibus propriis. 9*no.* Descensum in Lymbum, pro existentibus in Purgatorio. Alios actus, aliis personis, & necessitatibus. Commemorat hæc dispositio, quæ & quanta, Christus Dominus perpessus sit pro nobis, magnamq; proinde fiduciam excitat fore, ut pro quibus tanta pertulit, & se in Cruce obtulit, ijsdem & modo fructum Passionis suæ, quàm Missa hæc repræsentat, non denegabit, sed misericordissimè & liberalissimè applicabit. Cæterum dispositio hæc potest fieri longius ante Sacrum, ne si nimium protrahatur adstantibus fastidium procreet.

Communicantes dicens: gaude de maternitate Deiparæ, & nominando Sanctos secrerè exulta quod Deus tot habeat amicos.

Hanc igitur oblationem dicens: Superextende manus ad indicandam

candam poteſtatem tuam, quàm habes in Corpus Chriſti & ora ut hanc oblationem Divinæ ſuæ Majeſtati quàm maximè acceptabilem eſſe velit.

Cruces formando: Memor eſto innumerarum afflictionum quas hoſtia hæc ſancta cruentè immolanda tolleravit vel cogita & humilia te quanta ſit excellentia manuum tuarum quæ ipſum DEUM ſignant.

Qui pridie quàm pateretur dicens: Renoca Intentionem (ſi placet) conſecrandi quod in manibus habes & ſpectas juxta quod Chriſtus fecit, & faciendum præſcripſit.

In Conſecratioue: Hic imprimis fac in fieri aliquos actus, ſed perceleres E. G. Quia vis conſecrare ex motivis poſſibilibus DEUM honorandi, vel cogita quia inſtrumentaliter producturus ſis hic Chriſtum. Deinde profer ſacra verba integrè, non ſcrupuloſè, ne quid ridiculum contra cæleſtem politiam delinquas, neſcio quibusnam halitibus & halituum modificationibus ſyllabas exprimendo. Potes ſi placuerit ſingula verba cùm actuali & medullari, amore, proferre ut ita amoris hoſtiam Divinus amor conſecret, illeq; os tuum aperiat.

Poſt Conſecrationem: Adora Sanctiſſimum Sacramentum, ſubſternendo te tuaq; omnia profundiſſimè, immo totum mundum Divinæ voluntati. Vel deſidera adoratione hac recompenſare omnes dishonorationes, & deſpectus DEO tuo, ſimulq; reddere omnem honorem quem illi unquàm exhibuerunt .omnes creaturæ & exhibebunt in æternum. Quod idem in omnibus alijs coram Sanctiſſimo Sacramento adorationibus, & genuflexionibus facies.

In Elevatione, Sacræ Hoſtiæ: Potes cogitare quaſi toti mundo Chriſtum oſtendas, & à toto velit adorari, benedictionemq; omnibus impertiri. Vel cùm ſupra te elevas, deprimè te profundiſſimè, ut tanquàm in humilem convallem fructus Sancti hujus Sacrificij in te defluant. Vel elice aliquod actus intenſæ Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis jubilando mente. Tu Solus Sanctus. Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. Tu Solus DEUS. Tu Solus Altiſſimus &c.

In Ele-

In Elevatione Sacri Calicis Recogita summam Christi Charitatem qui in Passione sua quidquid sanguinis habuit, totum pro nobis à corpore separando effudit.

Unde & Memores dicens: extende manus quasi admirando stupendā DEI inPassione Resurrectione & ascensione dignationem.

Supra quæ propitio Cogita sacrificium hoc præstantius esse Abelis, Abrahæ, Melchisedech Sacrificio & desidera saltem tanto illud affectu offerre DEO quanto illi sua ignobiliora obtulerunt.

Osculare Altare: Ex affectu ad Communionem,& cùm non audeas tunc osculari ipsas species osculare & continge saltem fimbriam dilectissimi Redemptoris tui.

In Memento pro Defunctis: Specialiter memineris animarum NN. quibus fructum satisfactorium intendis applicare, secundario Parentum, benefactorum, adversariorum tuorum & aliorum qui minimè juvantur à viatoribus.

Nobis quoquè peccatoribus dicendo ardenter pete tibi salutem Ibidem gaude de illis Sanctis, qui, vel quæ illic nominantur.

Omnis honor dicens attribue demississimè DEO quidquid est in te bonorum, propterea totalissimè glorificando.

Pater noster recita tanquàm Orationem ab ipsa sapientia æterna compositam quibusvis alijs orandi formulis præstantiorem.

Hodie cùm dicis; extende illud ex contemptu terrenorum, ad totam vitam, quæ tota hodiè est, cujus mox aderit vesper.

Debitoribus nostris cùm dicis; elice actum dilectionis ut sensim combibas amorem inimicorum, ore unigeniti Filii DEI maximopere commendatum.

Osculare patenam; Non quia aurea sed quia cruce Domini auro pretiosiori insignita.

In Fractione Hostiæ, cujus particulam calici immittis pete intimam cùm Christo unionem & cura ne aliqua mica extra calicem exiliat.

Pax Domini dicens opta omnibus pacem quæ finem non habet ullum.

Agnus DEI ter repetendo elice actum intensissimæ Contriti-

onis

onis rogando Agnum mansvetissimum JESVM ut tibi condonet peccata cordis, oris & operis.

Orationes tres secreto dicens: Dirige jam sermonem tuum, ad ipsam hostiam & Agnum DEI pretium tuum rogans eum pro S. Matre Ecclesia (juxta sensum verborum) & te ipso ut ejus meritorum vi nunquàm in mortale labaris, quod in Sacerdote monstrosissimum est, roga verò ea applicatione, quâ orares si Christum Dominum sensibili spectares intuitu.

Panem cælestem accipiam, Expende. *1mo.* Qualem panem *2do.* Quo jure. *3tio.* Quo affectu *4to.* Quâ audacia. *5to.* Ad quid. Nec enim est, bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. Quid enim es tu?

Domine non sum dignus. *1mum.* Applica tibi quâ es Christianus. *2dum.* Quâ Religiosus *3tium.* Quâ Sacerdos. Vel non sum dignus. *1mo.* Spectando statum vitæ præteritæ. *2do.* Præsentis *3tio.* Futuræ non enim scis qualis cras sis futurus.

Ut intres sub tectum: Cogitare potes tectum, tuū seu operculum tuum esse amorem proprium, qui contegit in te abijsum turpitudinis peccatorum, inconstantiæ, ingratitudinis, respectuositatis, stultitiæ, insensibilitatis innumeraquè alia mala quæ in te Daus videt.

Sed tantum dic verbo Elice affectum fiduciæ erga misericordissimum Patrem.

In Communione Sacra cum corpus Christi tenes manu, tene tanquàm contentum continens. Cùm in os recipis, recipe tantanquàm cibum animæ vel manna cæleste. Cum lingua tangis refer tactum illum ad sanationem defectuum linguæ. Cum in ventriculum demittis, demitte tanquàm glutinum vel bolum amoris, qui te per veram & Physicam manducationem unit DEO. His considerationibus, (aut quod potius suaserim ipsarum aliquas, propter nimiam actuationem vitandas) imbutus detine mentem in Christi manducatione. Vel elice actus internæ Adorationis, gratitudinis, humilitatis, resignationis &c. Poteris ad instar munusculi Dominis suis in recenti adventu à subditis suis offerri soliti facere aliquod propositum vel votum non periculosum suo tempo-

tempore explendum. Tum depone manus ad altare ut vult Rubrica quasi admirans tantam dignationem & dic :

Quid retribuam cogitans quia secum omnia sua tibi DEUS dedit, pro quo dono cùm nihil condignum reperias quod reddas.

Calicem Sanctum sume pio amoris modo eum bibendo, quasi pro vita DEI, gaudendo de illa & volendo illam ipsi. Vel bibe tanquàm vinum dulcedinis quod in anima tua extinguat omnes amaritudines peccati teq; inflammet ad amandum DEUM & omne bonum.

Corporale & alia vela componens tracta illa atquè tractares panniculos Christi infantis, vel Syndonem sepulti, orans interim mente Dominum JESUM ut sua carne, sanguine, spiritu divinitateq; te totum penetret absorbeat & in se converat.

Post Communionem dic exultans quasi post convivium lautum.

Orationes dic confidenter recepto jam unigenito Patris affectu ut supra collectas.

Benedicens populo Precare ex animo ut præsentis sacrificij fructu & omnium cælestium gratiarum benedictionibus repleantur fideles.

Evangelium S. Joannis seu aliud occurens recitando desidera ut verbum æternum in te habitans ab omnibus agnoscatur recipiatur & ametur.

Recedens ab Altari ; Canticum trium puerorum punctuosè recita cùm actuali amore excitando omnes, etiam possibiles, creaturas ad glorificandum DEUM per se & in se super omnia in æternum & ultrà laudabilem.

Rediens ad Sacristiam. Confunde te ex defectuosè Sacrificio peracto exspolians te properanter tractim sacris vestibus quasi indignus ijsdem & ut ulterius sacrifices.

Post Missam observanda.

REfert Proclus Patriarcha Constantinopolitanus *Libr. de Liturg.* quod primis Apostolorum temporibus fusissimè, & longa ora-

gâ oratione Missa celebraretur, quæ sancta prolixitas, quia frigidis his nostris temporibus ad semihoram contracta est, ideo â Sacerdote post Sacrificium longiori, & ferventiori tanti cibi tàm festinanter accepti ruminatione supplenda, id ut cum maiori sensu & fructu fiat, quatuor itidem Post Missam (nisi aliquid grave & urgens instet) inviolabiliter observa.

1. Gratias age omnium creaturarum affectu Christo præsenti cum Patre & Spiritu Sancto, pro tam amicabili visitatione.

2. Offer teipsum tuaq; omnia, præsertim ea, quæ eo die dicturus, aut passurus es, in laudem & gloriam divinæ Maiestatis ut DEUS & Christus in te clarificetur secundum eius beneplacitum.

3. Expone iterum Christo cum omni humilitate, & resignatione tuas, & aliorum pro quibus orasti necessitates. Punctum hoc non læviter transeas sciens (iuxta principia bonæ Theologiæ ubi docetur quia quidquid homo virtuosi operis supernaturalis egerit, durantibus adhuc intra ventriculum speciebus recipere gratiam ex opere operantis, & ex opere operato) eo te citius, & plus impetraturum quo præsentior adest DEUS, & eo te fore gratiorem, quo plura patieris, tempus enim, hoc est tempus beneplaciti Dei. Modus seu praxis horum omnium mox proponetur.

4. Renova sæpius per diem tantam Dei erga te dignationem, teq; modestè ac circumspectè gere, ut vel aspicientibus constet te in Christum Iesum, quem Sacramentaliter suscepisti. transformatum.

MODVS
Gratias agendi, & alios Affectus protrahendi post Missam.

POstquam vestes sacras deposueris ablutis manibus, confer te, & flecte tantisper in loco aliquo quieto, convoca coram Christo IESU in corde tuo. veluti in throno aliquo sedente, omnes animæ tuæ facultates, atq; ad pedes eius cum Maria Magdalena prostratus deprome ore vel corde sequentes affectus.

O Ama-

O Amabilissime IESU, Deus cordis mei, unde mihi hoc, ut tu venias ad me, quis enim sum ego, & quis tu? Tu Creator, ego creatura. Tu Dominus, ego servus. Tu DEUS, ego fimus. Tu omne bonum, ego omne malum. Tu gratuitus Benefactor, ego ingratus humuncio. Tu liberalis Pater, ego prodigus filius. Tu omnis pulchritudo, ego omnis turpitudo. Tu infinita sanctitas, & gloria, ego infinita fæditas, & miseria. O millies dilectissime IESU, unde mihi vilissimo terræ vermiculo tanta dignatio, tanta charitatis dilectio ut me tam benignè respicere, tam amanter visitare, tam misericorditer pretioso corpore tuo reficere dignatus sis! Exi à me Domine, quia homo peccator sum. O gratuita & immensa misericordia! o infinita & incomprehensa charitas! laudet, atq; magnificet tua te bonitas, quâ ingratum sic dilexisti. Ego quantum est in me adoro, glorifico, & gratias ago tibi ex toto corde meo, ex omnibus viribus meis, & ex tota mente mea, quia me vilissimum peccatorem vocare dignatus es, ad splendidum vivificumq; sacræ mensæ tuæ convivium, Heu mihi, quàm nimis indignè peregi hoc Sanctissimum Sacrificium! Ignosce o DEUS meus, ego quod egi commendo divino cordi tuo emendandum, & corrigendum. Suscipe o Beata Trinitas hæc Sacrosancta Corporis Christi IESU mysteria ad sempiternam gloriam omnipotentiæ, Misericordiæ, Iustitiæ, Bonitatis, Longanimitatis, Charitatis, cæterorumq; attributorum tuorum. Suscipe in gratiarum actionem infinitarum divitiarum sanctissimæ Humanitatis in commemorationem acerbissimæ Passionis & mortis eiusdem Redemptoris mei. In recompensationem omnium blasphæmiarum quibus ab infidelibus Hæreticis, in hoc Augusto Sacramento dishonoraris. In dulcedinem & oblectamentum omnium amaritudinum, quibus hodie, vel alias unquam ob peccata totius mundi affectus es, vel affligeris acerbissimè. Suscipe in gratiarum actionem omnium prærogativarum quibus Beatissimam Virginem Mariam decorasti, præcipuè quia illam ab originali peccato præservasti, quia in Matrem elegisti, post partum inviolatam servasti, cum corpore & anima in cælum assumpsisti, Advocatam pecca-

torum constituisti, & plurimis miraculis per totam militantem Ecclesiam clarificasti. Suscipe itidem, & in gratiarum actionem omnium donorum, quibus universos cæli cives cumulasti, nominatim quæ meis Patronis, Sancto N. N. nec non & Sancto N. cuius hodie solennem memoriam agimus, vel quorum meminit Martyrnlogium tribuisti. Suscipe præterea & in gratiarum actionem omnium beneficiorum, quæ mihi indignissimæ, & vilissimæ creaturæ tuæ dedisti, specialiter quia me ex nihilo creasti, creatum hucusq; conservasti, sanguine pretioso redemisti, ad fidem Catholicam, & hanc Religionem sacram vocasti, ad sacerdotium evexisti, & innumera alia beneficia contulisti.

Quia verò Sacrificium hoc non tantùm est Latreuticum, & Eucharisticum. sed etiam propiatorium, & Impetratorium propterea suscipe etiam hanc immaculatam hostiam in propitiationem pro (nomina, pro quo fructum satisfactorium applicasti) & in impetrationem pro (nomina itidem necessitatem pro qua specialiter celebrasti.)

Miserere deinde & Ecclesiæ tuæ sanctæ, & præcipuorum eius membrorum: Papæ, Patriarcharum, Cardinalium, Episcoporum, & omnium eorum qui ad Clericalem statum pertinent. Fac eos sal terræ, lucem mundi, ut eam sanctitatem arripiant, quàm dignitas illorum requirit.

Miserere & omnium in verbo tuo, sive inter gentes, sive inter Hæreticos, sive inter Catholicos laborantium: nec non & omnium curam animarum gerentium. Fac eos idoneos ministros testamenti tui non literâ, sed spiritu, zeloq; gloriæ tuæ, & animarum inflamma.

Miserere etiam & omnium Sanctarum Religionum maximè verò nostræ & Superiorum eius, P. Generalis, P. Provincialis, P. Prioris, P. N. N. & aliorum omnium Ordinis nostri Fratrum. Tribue illis, ut tibi fideliter & constanter serviant, & iuxta suam vocationem vota Religionis exactè observent

Miserere & omnium Principum, & Regum Catholicorum, & eorum qui spectant ad statum sæcularem, præcipuè verò Imperatoris

toris Romani,& Regis Poloniæ, qui propagandæ gloriæ tuæ possunt prodesse. Da illis robur adversus hostes suos, & pseudopolitiam, ut non blasphæmetur nomen sanctum tuum.

Miserere & omnium Hæreticorum, Turcarum, Schismaticorum, Calvinistarum, Luteranorum, & aliorum omnium, quibuscunq; appellantur nominibus. Lugeo, lugeo Domine coram te, tam multos homines alienos â te.

Miserere & omnium in peccatis mortalibus iacentium, nec non & inimicorum meorum, quos intimè diligo. Doleo quod sic ab illis offendaris. Utinam te omnium cordibus amare posse?

Miserere & Parentum, Fratrum, Sororum, Cognatorum, Consangvineorum, & qvorumvis amicorum meorum. Utinam ad perfectam amicitiam tuam pervenire possint, & quæ saluti & incolumitati suæ deserviunt obtinere.

Miserere insuper Captivorum ægrotorum,tentatorum, tribulatorum, agonizantium & benefactorum meorum NN. & aliorum omnium qui se hoc mense, vel alias orationibus meis commendaverunt, vel commendati esse cupiunt. Miserere, miserere necessitatibus eorum largiendo, quod voluntati tuæ est placitum, & ipsis proficuum.

Deniq; miserere & animarum NN. defunctorum, & aliorum omnium in purgasorio detentorum, & præcipuè eorum qui nullum habent suffragium, qui propter me torqventur, qui hodie decesserunt, qui hic reqviescunt, qui minimè habent ad persolvendum & quorum liberatio ad majorem tuam cedit gloriam, horum inquàm omnium miserere.

Ad extremum Miserere & mei peccatoris ingrati & indigni servi tui. Peccavi Domine super numerum arenæ maris & non sum dignus intueri cælum præ multitudine & turpitudine iniquitatum mearum. Concede ergo mihi verissimam Contritionem quâ omnia peccata mea ex tuo amore detester.

Concede mihi verissimam mortificationem judicij & amoris proprij. Da mortificationem volunttatis, sensuum & Passionum ut nihil amem nihil desiderem nulla re oblecter nisi te solo, summo bono meo.

Concede ut contra difficultates in via ſpirituali, contra mundum carnem diabolum contra teporem cenodoxiam puſillanimitatem, contra humanos reſpectus & alia impedimenta conſtanter audeam. Libera me à tentationibus & dolis omnium hoſtium tam viſibilium quàm inviſibilium præcipuè verò ab his qui veniunt ſub ſpecie boni ne bonum inqvirens à vero bono divellar.

Concede mihi fidem rectam, ſpem firmam, charitatem ardentem, humilitatem veram dilectionem non fictam, obedientiam promptam, timorem tui, caſtitatem, manſvetudinem, Reſignationem, & alias virtutes ſtatui meo neceſſarias.

Da mihi per infinitam bonitatem tuam, obſecro & perſeverantiæ donum ut nunquàm per peccatum aliquod à te ſeparer ſed usquè ad mortem & in æternum in tua gratia perſeverem.

Da mihi per Sanctiſſimam vitam Chriſti JESV precor & bonam corporis valetudinem quàm ego qualiscunq; & quantacunq; fuerit pro gloria tua totaliſſimè & fideliſimè impendere volo.

Da mihi per innocentiſſimam mortem ejusdem Domini mei, rogo & bonam mortem ut poſt bonam vitam in te moriar morte juſtorum. Tolle à me nimium amorem hujus vitæ & nimium timorem mortis ut lætus tranſitoria deſeram.

Aufer deniq; à me quidquid me in aſſecutione perfectionis detinet atq; potiſſima adjumenta ad Sanctè vivendum & feliciter moriendum attribue.

Hæ ſunt DEUS meus intentiones hæ neceſitates meæ quas ego Sacrificio hoc non ſolum mihi ſed & omnibus proximis impetrare cupio, idq; puriſſimè, & intenſiſſimè, non ſolum arido meo, ſed omnium hominum & Angelorum affectu.

Quia verò hæc præcatio & poſtulatio mea eſt, valde frigida, & arida ideo offero Divinæ Majeſtati tuæ omnes devotas & ignitas intentiones, Sacrificia, precationes affectus, exviſcerationes, quas hodie vel alias unquàm omnes Communicantes omnes Celebrantes omnes Sancti tecum in cælo regnantes & præcipuè Puriſſima Virgo MARIA fecerunt facientq; deinceps usquè in finem mundi, &

di, & in æternum, idque in unione perfectissimarum intentionum Sacrificiorum precationum Christi Domini Salvatoris nostri qui in ultima cæna incruentum hoc sacrificium instituit & in cruce seipsum cruentam hostiam offerens consumavit.

Tu misericordissime & liberalissime Domine dona quod placet largire gratiam & tuam Sanctam benedictionem. Amen.

Hi itidem affectus possunt dici ore vel mente. Quod si confessiones ingruant aut alia obedientiæ exercitia tunc saltem sequens oratio, eadem breviter complectens, dicatur.

Oratio post Missam

ADoro te & gratias tibi ago benignissime Domine JESU qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum vivificumquè sacræ tuæ mensæ Convivium. Heu mihi quàm nimis indignè complevi hoc Sanctissimum sacrificium, miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi commendo Divino cordi tuo emendandum & corrigendum.

Suscipe quæso hæc Sacro-sancta corporis tui mysteria quæ tibi offero ad gloriam nominis tui sempiternam ad honorem Purissimæ Genitricis tuæ Virginis MARIÆ ad honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumq; beatorum Angelorum, ad salutem meam ad salutem N. ad salutem omnium fidelium vivorum, & defunctorum.

Suscipe hoc præcellentissimum Sacramentum in plenam satisfactionem pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud instaura omnes meas ruinas spirituales & supple omnem meam inopiam. Per illud conforma spiritum, animam,& corpus meum, Spiritui animæ & corpori Sacræ Humanitatis tuæ. Per illud largire ut in te stabiliar te perfectè & perseveranter diligam intimè tibi uniar ac totus in te transmuter.

Converte Domine miseros peccatores revoca Hæreticos atq; Schismaticos illumina infideles te ignorantes, adesto omnibus qui in necessitate & tribulatione aliqua, constituti sunt. Adesto his qui se precibus meis commendaverunt vel commendati esse cupiunt

piunt. Adesto Parentibus propinquis, & benefactoribus meis. Miserere omnium pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis. Da vivis veniam & gratiam da defunctis requiem æternam. Amen.

ORATIO
Ad B. Virginem MARIAM post Missam.

COmmendo me tibi Serenissima vereq; inclyta virgo MARIA Cæli ac terræ Regina, quæ in tuo Sacratissimo utero eundem Dominum, quem ego modo suscepi, de Spiritu Sancto conceptum dignè portasti. Precor te Matrem DEI Sanctissimam ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas ut quacunq; ratione in sumptione hujusSanctissimi Sacramenti deliqui tu hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens post concepum filium etiam castior, purior, sanctior, Deoq; gratior evasisti. Utinam & ego tam Divini Sacramenti perceptione ita Sanctificer ut deinceps cor & corpus meum, ab omni læthalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto filio de Spiritu Sancto magnificas laudes DEO læte decantasti, & in DEO salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibus precibus id assequar Virgo & Mater ut cùm hac sacra communione novum & ardentem spiritum conjungam ac semper in gratiarum actione verser tantoq; hospiti ac Redemptori me nunquàm ingratum sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

CORONIS
Continens aliquot Monita generalia Sacerdotibus celebrantibus utilissima.

SAcrificium Corporis & Sanguinis Domini quod Sacerdos ex vi quatuor Sacerdotalium officiorum primùm conficere debet, tam est sublime, tam augustum, ut sit præstantius omnibus sacrificijs legis veteris, gratius DEO quàm sint omnes amores Seraphinorum & omnium Sanctorum actus intensissimi, imo gratius omni-

mnibus actibus meritorijs ipsius Beatissimæ. Unde si nihil in vita delectabile haberet, quo in hac lachrymarum valle detineretur, propter hoc solùm meritissimo longitudinem dierum expetere deberet. Vel etiamsi nulla usquàm obligatione ad sacrificandum adigeretur propter hoc solum jure merito nunquàm sacrum intermitteret. Ut ergo tam augusta mysteria decenter & debitè tractes, ut plausum & approbationem à cælesti curia spectatrice referas sequentia monita studiosè observa.

1. Materias huic actioni debitas cura semper habere exquisitissimas scilicet; panem recentem nitidum, bene pistum, vinum saporis boni, non acetosum, defecatum: Ingens enim incuria ne dicam iniuria est, palato & abdomini suo dulcia, falerna, in hilum mox covertenda desiderare & procurare: Sancto vero sacrificio vinum & acetosum vel fæculentum, quod in pretiosissimum sanguinem Christi debet converti submistrare.

2. Corporalia purificatoria & alia linteamina in quibus Caro Christi deponitur mundissima & nitidissima fac semper habere. Horrendum enim est visu purioribus linteaminibus sordes narium excipere quàm depositum pretiosissimum DEI Patris

3. Si inter sacrificandum gustibus devotionis careas noli anxiè torqueri sed Divinæ te plenissimè voluntati committe, qui optimè novit quid nobis expediat. Sæpe contingit unctuosè compunctum cùm plenus defectibus sit, sibi de eximia Sanctitate ablandire alios despicere, in quibus eas non advertit delicias Spiritus, magno cùm suo periculo.

4. Libenter habe & gaude, si in tuo Sacrificio populus ad Communionem accedat. Dabis quippe eleemosynam, quâ neq; DEUS quoad substantiam maiorem præferre potest, & cum Corpore & Sanguine Christi dabis certo, quodam modo gratiarum augmenta, & ita distributione hâc multa bona diffundes in alios magno tuo spirituali lucro.

5. Si obvenerit Corporale vel Pixidem purgare, vel plures hostias consecratas sumere noli acediari & exhorrescere, attendens ad supra nominatam Theologorum sententiam de augmento gra-

to gratiarum, ex duplici fonte oriri solito, manente diutiùs Christo Domino in ventriculo, & ad exemplum S. Philippi Nerei qui id muneris obibat avidissimè.

6. Cum mirè agat dæmon, ut recepto Christo statim ad alia tractanda (esto ea commodè differri possunt) abeamus cave diligenter, ne te statim finito Sacro ad sæcularia negotia, & quod graviùs est, ad inutiles confabulationes, risus oblócutiones, manente adhuc inconsumpto Christo in ventriculo conferas. Est enim usus iste ingens abusus, non sine gravi irreverentia tanti hospitis. Imò causa est (ut dicere solebat S. Teressia) quare homines ex frequenti Eucharistiæ usu parùm emolumenti percipiant Ergo si non vis abusum hunc committere, & fructu Sanctissimi Sacramenti privari contine te tantisper à verbis, & negotijs sæcularibus. Et non contentus cantico, *Benedicite:* dum adhuc in te Christus est substantialiter præsens, dic suprapositam gratiarum actionem cum suis affectibus. Post gratias poteris dicere Horas Canonicas, vel lectioni spirituali vacare, ut ita pia hæc recollectio (si confessiones non ingruant) saltem mediam horam contineat.

7. Attende diligenter, ne saltem ante mediam horam post saerum in terram despuas, vel cibum, aut potum corporalem capias. Cum enim non per quamlibet specierum alterationem, neq; statim atq; in stomachum traijcitur, desineret esse panis & vinum, si sub illis speciebus adesset per consequens, & Christi corpus non statim desinit esse. Proinde expecta tantisper donec species alterentur & corrumpantur. Neq; enim decet, inquit Bonacinna cibum corporalem cum Christi Corpore miscere, multo maius in terram expuere & conculcatui tradere.

Atq; hæc ex multis pauca de praxi Celebrandi Missam dicta sunto in laudem & gloriam Agni Immaculati, Sacerdotis & hostiæ, offerentis & oblati, continentis & contenti in Sanctissimo Missæ Sacrificio & Sacramento. Utinam quem hic sub speciebus tangimus facie ad faciem in cælis videamus.

§. VI.

§. VI.

Praxis persolvendi Spiritualia Exercitia.

MUlta quidem sunt media profectui spirituali, & renovandæ in melius præteritæ vitæ recollectioniq; interiori valde servientia, sed inter ea, experientia edocente, nullum facilius, nullum efficatius exercitijs spiritualibus, quibus aliqui decem dies, aliqui minus, aliqui plus, remoti à quavis humana conversatione, distractionem adferente, impendere solent. Nos ex præscripto Statutorum decem dies sacro huic otio solemus dare, quod ut cum maiori fructu fiat sequens methodus ad amussim observari debet.

Ante Exercitia facienda.

Priusquam Exercitia auspiceris: Inprimis præfige tibi certum aliquem finem, propter quem, vel quem hoc Sacro decemdidiennali secessu velis obtinere. Hic autem finis potest esse varius pro diversitate necessitatis. V. G. ut recollectio interior, vel reformatio alicuius vitij vel defectus. Vel acquisitio solida alicuius necessariæ virtutis, vel dispositio ad aliquod officium ritè obeundum, vel deniq; alia pia necessitas.

2. Habito fine præfixo Exercitiorum excita in te vehemens desiderium, negotium hoc perfectissimè peragendi tanquam primum & ultimum foret, & ideo tibi à Domino Deo concessum ut per illud præteritam vitam in melius renoves, & ad ineundam æternitatis viam te disponas sicut suprema vitæ meta te disposuisse velles, quod ut faciliùs assequaris, sequentem Meditationem pridie Exercitiorum instituas.

MEDITATIO.

PRæludium 1mum. Statue tibi ante oculos Christum Dominum quasi Magistrum seu Doctorem desiderantem illuminare, & edocere animam tuam, dum modo etiam tu, ad percipienda verba ipsius, verba viæ, & vitæ æternæ, seriò te applicaveris

Præludium 2dum. Pete efficacem gratiam, projciendo te, vel cum publicano, vel cum filio prodigo, vel cum Maria Magdalena

ad pedes eius auscultandi & exequendi, quidquid ipse cordi insusurraverit.

Punctum 1mum. Cogita Deum advertentem magnas tuas imperfectiones, & negligentiam in vocatione indeq; gravius iudicium quod te expectat, quod ne incurras cogita. *2do* Deum ex singulari erga te benevolentia immittere tibi ad cor inspirationem modumq; per hæc Exercitia procurare, ut tuas imperfectiones videas corrigas virtutes quæ tibi desunt acquiras ipsumq; magis ac magis adames.

Punctum 2dum. Cogita Deum te alloqui, & ad vitam renovandam excitare illis verbis Apocalipticis 3. *c.* hæc dicit. Qui habet septem Spiritus Dei, scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo, age pænitentiam, &c: Et illis aliis verbis ex eadem Apocalipsi. Angelo Laodiceæ scribe, scio opera tua, quia neq; calidus es, neq; frigidus, propterea incipiam te euomere ex ore meo dicis quod sum diues, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere aurum ignitum ut locuples fias, & vestimentis aliis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ, & colyrio inunge oculos tuos ut videas.

Punctum 3tium. Expende finem horum Exercitiorum DEO, Beatissimæ Virgini, Angelis, Sanctis tuis Patronis acceptissimum, tibi, proximisq; tuis utilissimum. Porro finis hic varius assignari potest. *1mus.* Est vera sui cognitio & recollectio. *2dus.* Maximè tibi familiarium vitiorum extirpatio. *3tius.* Passionum mortificatio. *4tus.* Virtutum solidarum comparatio. *5tus.* Præteritorum peccatorum detestatio, pro ilisq; satisfactio; vel alia pia uti supra insinuaui necessitas. Fortè si teipsum cognosceres Deo melius deservires; fortè vitia tibi quotidiana, quæ pro vilibus reputas Deo maximopere displicent, & ne tibi alia charismata communicet, impediunt: fortè immortificatio tua plurimos scandalizat, fortè post 20. transactos in Religione annos nullam solidam vir-

tutem

tutem habes; fortè Deus ex sua occulta justitia, præteritæ vitæ tuæ pænitentiam, & contritionem non acceptauit; fortè nullum ex tuis operibus hucusq; illi gratum fuit. Nemo enim scit an odio vel amore sit dignus. Quare concipe fervens desiderium Exercitia hæc deuotissimè, & diligentissimè peragendi, ac si modo primùm & ultimò Deo seruire inciperes. Et ideo in colloquio gratias age Deo pro occasione ista faciendorum Exercitiorum, & offer te ad ea quam diligentissimè peragenda, audiendiq; & faciendi, quidquid Dominus ad cor locutus fuerit dicendo cum Psalmista: Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. *Et cùm Samuele*: Loquere quia audit servus tuus.

Tum procidat in faciem suam, & dicat Psal. Miserere. & Hymnum. Veni S. Spiritus, cum collecta, Mentes nostras &c. Ad Beatissimam verò Virginem dicat per te accessum habeamus ad Filium, &c. vel Aue Maris stella. Ad S. Paulum Primum Eremitam dicat: Per merita Sancti Pauli, Christe nos exaudi, atq; eius precibus, &c. Vel, Hic vitam Eremiticam, &c. Hæ Orationes & aspirationes, possunt non tantum pridie in fine Meditationis, sed qualibet die ante inchoationem Exercitiorum, & quarumlibet meditationum recitari

In ipsis Exercitijs præstanda.

1. In loco meditationis fortiter apprehendat præsentiam Divinam & Sanctorum & in conspectu illorum omnia sua peragat.

2. Antequàm meditari vel quidpiam facere incipiat, invocet per pia, suspiria DEUM Beatissimam Virginem & *S. Paulum ut supra* vel in hunc sensum Domine JESV qui es via veritas & vita per illam contemplationem tuam in deserto, eia doce adjuva illumina faciem tuam super servum tuum &c. Sanctissima Mater illuminatrix Doctorum impetra cæco mihi lumen cæleste ut videam *Sancte Paule intercede pro indigno filio.*

3. Instructorem tanquam instrumentum DEI cùm reverentia ac confidentia, excipiat, audiat, sincereq; manifestet quas consolationes desideria proposita habuerit. quæ etiam proposita scripto adnotabit ut suo tempore in parxim reducantur.

4. Len.

4. Lento passu procedat in Meditando & si aliquem affectum notabiliter sentiant in aliquo puncto diutius in eo immoretur ad alia non properando. Si autem ariditas superveniat non ideo desperet sed se magis humiliet, mortificetq; indignumq; se reputet consolationibus, & illuminationibus, Totam spem, in mera bonitate Divina reponendo, quia dum veniet voluntas & hora DEI, etiam per unum verbum venient tot lumina, tot pii affectus, insuper & tantum robur ad exequendum supra quam sperari possit.

5. Nullas Maditationes aut pænitentias assumat, præterquam ab Instructore Spirituali assignatas.

6. Quam diu exercetur propter recollectionem Spiritus conservandam, cum nullo, nisi tempore recreationis idq; ex consilio Patris Spiritualis, colloquatur.

7. Distributionem temporis quid singulis agendum horis, quidve Meditandum præ oculis semper habeat & studiosè observet.

8. Memor item sit Indulgentiæ plenariæ a Paulo V. nobis concessæ, cum hac tamen conditione, ut in hoc sacro secessu qualibet die saltem duabus integris horis Meditationi vel Sacrorum recogitationi vacemus.

Post Exercitia Observanda.

1. Evoluto tempore Exercitiorum Offer Christo tuos conatus coram Venerabili Sacramento perficiendos, agnoscendo te sine illo nihil posse.

2. Deinde cum filiali fiducia exposce per infinitam bonitatem ejus per merita Beatissimæ Virginis Sanctorumq; omnium, efficacem gratiam conceptis Divinis inspirationibus in his exercitijs suo tempore cooperandi.

3. Post hæc gratias age pro omnibus beneficijs tibi hucusq; datis & maxime pro occasione & modo, & inspiratione persolvendi hæc Exercitia subijciendo Te DEUM Laudamus.

4. Demum ad minimum semel per mensem lumina in his exertijs habita, & nota relege proposita renova teq; identidem ad eorum executionem exstimula ut hac ratione conceptum fervorem continues teq; re ipsa Patri luminum gratum exhibeas; vel si placet assume sigillatim exercitium uniuscuiusq; diei per unum integrum mensem practicandum eo ordine quem in exerciis tenuisti; V.G. Pro mense primo assume exercitium primum de præsentia Divina in eaq; te diligentius exerce. Pro mense secundo assume de fine ultimo: Pro tertio de pec-

cato

caio & sic per consaquens usq; ad finem, singulos dies singulis mensibus tribuendo Exercitiaq; præterita repetendo & quasi per totum annum faciendo.

§. VII.

Praxis piè & Honestè Decumbendi

FActo accuratè utroq; examine cosciantiæ salutato venerabili Beatissima virgine Angelo custode cum Patronis & benedictione pro nocte feliciter transigenda accepta, perge ad cellam, dicendo Psal: Miserere.

2. In cella memor DEI Angeli præsentis honestè te ad quiescendum compone atq; inter exuendum mente revolve vel Christi denudationem in Passione vel animæ tuæ nuditatem ob gratiæ virtutumq; inopiam: vel horam mortis quâ omnibus rebus nudaberis.

3. Priusquam decumbas flecte paulisper ante lectulum & brevissimè rumina, vel quietem beatorum in cælis: Vel damnatorum æternos cruciatus: Vel Christi Domini supra lignum Crucis immanem, ita ut nervi rumperentur projectionem & extensionem. Tum subiunge intentionem te velle dormire non ut voluptati sensualitatis deservias sed ut vires pro DEI gloria propaganda repares quam singulis respirationibus desiderabis spirare, imo reipsa non minùs quàm vigilando Domino tuo sic vitæ rationes constituenti cupies reddere.

Unias futurum somnum cum somno Christi JESU & pete humiliter ut te ab omnibus indecentibus somniis;illusionibus,bestialibus commotionibus præservare dignetur,quæ omnino contra tuam voluntatem, si forte contingant in somnis, fore protestaberis.

Et quia somnus est imago mortis, resignabis te plenissimè in manus Creatoris tui DEI tam ad vitam quam ad mortem, Cruceq; lectum signando ter JESUS inclamabis tum decumbes.

4. Conare autem quàm decentissimè decumbere, scilicet honestè tectus, iunctis in modum Crucis manibus linteis circumquaq; involutis genibus: Non supinus neq; terga uersus sed in latus. In summa ea Virginali modestia quæ servum DEI Angelicam in terris puritatem æmulantem decet.

5. Postquam te sic ad quiescendum composueris, modico ante somnum spatio excita desiderium horâ statutâ surgendi, & totum sequentem diem sanctè transigendi, ruminando breviter. Vel praxim piè surgendi: Vel puncta futuræ meditationis: Vel brevitatem & incerti-

incertitudinem futuræ vitæ potest enim contingere ut amplius de hoc lecto non surgam &c. Vel multitudinem dierum negligenter hucusq; transactorum vel alia similia.

6: Si ante somnum subrepat indecens Sathanæ suggestio, aliaq; tentatio cave ne in illa obdormias sed quam primum opportunis medijs reprimas: Qualia sunt: Passionis Christi Meditatio. Beatissimæ Angeli Patronorum invocatio, novissimorum & æternitatis recordatio; humi-cubatio disciplinæ carnis compunctio &c. Eadem remedia servient nocte expergiscenti si similis infestatio inimici insurgat.

7. Quoties expergisceris toties JESUS MARIA vel Gloria Patri ingemina, vel alijs pijs suspirijs mentem in DEUM eleva ita tamen ne somnus naturæ necessarius plus æquo abrumpatur.

Quæ si impleveris evigilabis olim feliciter in diem beatæ æternitatis.

EPILOGUS.

EN habes Charissime Frater breviter sed sufficienter quod ingentibus comprehenditur voluminibus ABECEDARIUM PERFECTIONIS, verum nimium imperfectum frustraneum & prorsus inutile si quæ scripsisti ad Praxim non reduxeris. Si frustraneum est leges habere in codice & ex illis nihil observare aut modice: Si inutile est præcepta tantum in capite portare & opere illa ad executionem non deducere: Si vanum & futile est multa bona scire & nihil boni facere: profectò magna tua vanitas, magna imperfectio, cachinnis ab omnibus merito explodenda. si leges, si præcepta, si instrumenta, & varia media Perfectionis acquirendæ in libris habueris & ipse totus plurimis imperfectionibus insordueris. Cura igitur diligenter ut scientia Perfectionis & Mediorum ejus non sit in te imperfecta & inutilis, conjunge opus cognitioni, gratia & adjutorio Magistri omnis Perfectionis Domini Nostri JESU CHRISTI.

O. A. M. D. G.



[illegible] so laut, als schwarz[illegible]
[illegible] schließt [illegible]. C[illegible]
[illegible]kt.

Czego kto nie zasieje tego i nie zbierze.
Nikogo nie widać. Co [illegible] nie powiecza?
Niemożna wszystkiego wiedzieć. Że tyż na [illegible]
spuscić się niemożna. Im dłużej kto sypia
tym ociężalszem się staje. Jak sobie kto pościele
tak się i wyśpi. Można być szczęśliwym nie
ubiegając się o dostatki. Wiele dobrego o nim
mówiono.

Svitr

Jap eczeuraciftru

IV

Lazonje

Na słowa niezrozuiste zaimkiem [illegible]